MVNDINI MVNDINII VINCENTINI

DISPVTATIO IN TRES PARTES DIVISA;

In qua ea, quæ de semine sunt controuersa inter Peripateticos, & Veteres Medicos, & doctissimos quosdam Neotericos accuratissime discutiuntur.

Ad Illustrissimos atque Excellentiss. Academiæ Patauinæ Moderatores Vigilantissimos.

M. ANTONIVM MEMMVM DIVI MARCI PROCVRATOREM.

ANTONIVM PRIOLVM EQVITEM, ET DIVI MARCI PROCVRATOREM.

ANDRÆAM MAVROCENVM SENATOREM AMPLISSIMVM.



TARVISII.

Apud Aurelium Reghettinum. M. DCIX.

Superiorum permissu.



Illuſtriſſimis atque Excellentiſſ.

ACADEMIAE PATAVINAE

Moderatoribus Vigilantiſſimis.

M. ANTONIO MEMMO D. MARCI PROCVRATORI.

ANTONIO PRIOLO EQVITI, ET D. MARCI PROCVRATORI.

ANDRAEAE MAVROCENO SENATORI AMPLISSIMO.

Mundinus Mundinius. S. P. D.



VI frugum primitias Dijs offerendas cenſuerunt, ij mihi poſteros docere voluiſſe videntur, primos ijs fructus deberi, quorum prouidentia nati atque ad maturitatem deducti eſſent. Quo ſi æquius nihil fingi poteſt, vobis, Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Academiæ

tis Neotericis hucusque eruditioribus Medicis tentatam, sed minimè ad perfectionem perductam. Tantum tamen in me potuit desiderium Medicinæ artem, quam profiteor, defendendi, & studiosos iuuandi, vt omnem timorem abiecerim. Accipiant igitur hilari fronte studiosi hanc meam de semine disputationem, accipiant libenter hos meos primos conatus. quibus si aliquid contra aduersarios me præstitisse iudicabunt, ad perficiendam à me iam inceptam quæstionem de sede animæ, cum dabitur aliquid otij à medendi munere, & à grauioribus studijs, non exiguos mihi animos addent.



INDEX

INDEX
OMNIVM CAPITVM HVIVS DISPVTATIONIS.

Primæ Partis Capita.

Secun-

Secundæ Partis Capita.

Tertiæ Partis Capita.

NOMINA AVTHORVM,
QVIBVS AVTHOR IN HOC
OPERE VSVS EST.

ACcorombonus.
Albertus Magnus.
Alex. Aphrodisæus.
Alex. Maßaria.
Andræas Vesalius.
Andræas Laurentius.
Argenterius.
Aristoteles.
Auerroes.
Auicenna.
Bottonus.
Buccaferreus.
Cardanus.
Cæsalpinus.
Cornarius olim damnatus.
Costæus.
D. Augustinus.
Fallopius.
Fernelius.
Fracastorius.
Galenus.
Hippocrates.
Heliodorus.
Hieronymus Fabricius Aquapendens.
Io. Baptistæ Syluaticus.
Io. Baptista Porta.
Io. Grammaticus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Castellanius.
Mercenarius.
Mercurialis.
Oddus.
Nicolaus Leonicenus.
Petrus Aponensis.
Piccolomineus.
Plato.
Plinius.
Pomponatius.
Realdus columbus.
Rudius.
Saluus Sclanus.
Scotus.
Suessanus.
Teophrastus.
Valesius.
Valuerdius.
Zabarella.
Zimara.

IN
MVNDINI MVNDINII PHILOSOPHI,

Ac Medici perſpicaciſs. Librum de vtriuſque hominis Genituræ facultatibus, ac effectibus.

Bartholomæi Burchelati Phyſici Elegidion.

IAm liceat mihi vera loqui: taceas modò tincte
Liuore: & roncos inuide pone tuos.
Mundinus mundo Naturæ arcana recludit:
Abdita quæ fuerant denique clara nitent.
Vſqueadeo vt Medicis dubium, phyſicisque relictum
Nullum: nam ratio quæque ſoluta manet.
Vicerunt Medici: vicit modò iurè Galenus:
Iam Peripatetici dent Medicisque manus.
Iam iam centenis Mundinus protulit annis
Anatomen, Mundo quam publicauit ouans.
Nunc ex Anatome illuſtrat Mundinus in omni
Tempore Naturæ viſcera tecta ſciens.
Eiaculare ſimul Mulierem ſemen, & vnde,
Vt vir agit, quorſum, quomodò, quaque via:
Perfectum monſtratque animal quodcunque parente
Vtroque actiuum ſemen habere ſuo:
Tum formatricem vim, vt maſculum tenet ipſe
Semen fœmineum ſic retinere docet.
Tollit hic interea dubia alta Neotericorum:
Arcana vnde alijs colligi omiſſa notat.
Denique cuncta id opus ſpectantia comprobat, atque
Monſtrat Mundinus, doctus in arte nimis.
Nulla meis verbis: operi præſtetur ab omni:
Omnis & his verbis ſic erit ampla fides.
Mundinus Mundo Modò Mittit Munera Magna:
Mox Mittet Mirus Maxima, Mira Magis.

Typographus Benigno Lectori.

Rogamus humiliter Lectorem, ut, ubicunque inter legendum illi aut mendum aliquod occurrerit, aut etiam aliquod uerbum in sententijs deficere illi uidebitur, non dedignetur ad hanc pagellam recurrere, in qua errata grauiora castigata reperiet, numerus indicabit paginam, A primam faciem, B secundam.

Errata		Correctiones.
1 B	doctissime aliqui	doctissimi aliqui
4 B	retracti.n .testes subsident	retracti n. subsident
5 A	quod lac ipsum	qui lac ipsum
ibid.	quod penitus	qui penitus
6 A	vnde ergo habet spiritus	Vnde ergo habent &c.
7 A	à causis præparantibus	à vasis præparantibus
9 B	demonstrans semen gignere	demonstrans fœminam semen &c.
ibid.	iestes	testes
12 B	non accurreret ?	non accurrent ?
13 A	celeres confertim facta	celeris, & confertim facta
14 B	illis permixtio	cum illis permixtio
15 A	celebratione	elaboratione
ibid.	cum omnes agens	cum omne agens
15 B	quam alias in coitu	quam aliàs in coitu
20 B	patet in quibus	patet in auibus
24 B	legus	legas
26 B	aide crassa	valdè crassa
27 B	proindeque nullum	proindeque nullam
29 A	quare vt perfectorũ animaliũ	quare ne perfectorum &c.
29 B	ad ceruieem	ad ceruicem
32 A	si semen fęminæ & fortius	si semen fœminæ est fortius
33 A	in fine	in fine
ibidem	non coincidit sententiæ	non coincidit sententia
ibid. B	Hæc vero talis	Nec vero talis
35 A	filius oriatur penes hæc filius similis	filius oriatur penès hæc similis
ibid B	quando coquit, & mouet	quæ coquit, & mouet
36 A	in se ipso continent	in se ipso contineat
ibid.	an verè	an vero
37 A	vnde malum sibi	vnde malam sibi
38 B	aut absolute filios	aut absolutè fatendum filios
39 A	quod spectat ad alterum	quod spectat ad alteram
39 B	ab illis sustinerent	ab illis sustineret
40 A	liceat mihi augere	liceat mihi arguere
43 B	qui plantarum mares	qui plantarum mores

Errata		Correctiones.
ibid.	quod mares iequantur	quod mores sequantur
45 A	in amantibus	in animantibus
50 A	ad imaginationes	ad imaginationis
50 B	hoc hoc esse	hoc esse
52 A	quo modo ò Ar.	quomodo o Auer.
ibid.	quod concedat	quod concedit
54 A	tribuit ille	tribuit illi
55 A	frigidius gignitur	frigidior gignitur
60 A	& fœmina tradidit	& fœminæ tradidit
63 B	sententiæ Ar. sectatorum	sententiæ Ar. & sectatorum
65 B	vulua vingitur	vulua iungitur
67 A	ibi philosophos	ibi philosophus
70 B	quod eum ad aures	quod cum ad aures
ibid.	sine strepitum	sine strepitu
ibid.	membranamque circumdari	membranaque circumdari
72 B	promptam habet semen	promptum habet semen
73 B	transmutatinnes	transmutationes
76 A	exhibebeat	exhibeat
80 A	saluus selanus	saluus sclanus
ibid.	quis vetat?	quid vetat?
80 B	aut primam formationem	aut post primam formationem
82 A	saluum selanum	saluum sclanum
90 A	oppositione priuata	oppositione priuatiua
ibid. B	prima parta	prima parte
ibid.	anima Vegetalis anima vermiculi	anima Vegetalis vermiculi
93 B	eadam	eadem
98 B	membrum, & rotundum	rubrum, & rotundum
99 A	partium intra se	partium inter se
100 A	Hipp. de genit,	Hipp. de genitura
101 B	& hos deducat	& hos deducant
102 B	per arteriales nuper	per arteriolas nuper
103 A	quem recipit	quem recipiat
ibid. B	probabilia vobis	probabilia nobis
104 A	statimautem contra	statui autem contra

MVNDINI MVNDINII VINCENTINI DISPVTATIONIS,

In qua ea, quæ de ſemine ſunt controuerſa inter Perip:, & Veteres Medicos, & doctiſſimos quoſdam Neotericos, diſcutiuntur.

PARS PRIMA.

Propoſitio, atque diuiſio tractandorum. Cap. Primum.



ONTEMPLATIO de principijs eſt adeò ſublimis, vt nulla dignior reperiri poſſit. Veruntamen ſemper parem cum dignitate difficultatem coniunctam habet; adeò autem iucunda eſt, vt nil in ea difficile, nil laborioſum eſſe videatur. Diſputationem ego de principio inſtituturus, non diſputabo, de ſupremo rerum omnium principio: non de prima materia, de qua tot lites ſunt excitatæ, vtrum habent actum entitatiuum; vtrum formam corporeitatis ſibi coæternam. Non de quatuor rerum ſublunarium principijs, vocatis elementis, de quorum qualitatibus tam multæ extant controuerſiæ. Hæc ſunt merè philoſophica, & à nobis remota. Diſputabo de proximo noſtræ, & perfectorum animalium generationis principio, nempe ſemine. Neque diſſeram vtrum ſit excrementum, vel colliquamentum; & alia multa, quæ iam rectè, & exactè à diuerſis determinata ſunt; vnde non opus eſt, vt actum agendo, volumina de his conficiam, atque alijs propriam gloriam eripere quæram. Diſputabo ea, quæ ſunt controuerſa, inter Ar.

& sectatores ex vna parte, Galenum, & Medicos ex alia; vtpote quæ, neque exactè, neque pro dignitate (si hæc mea cum aliorum scriptis studiosi conferent) ab alijs hucusque tractata fuere. Vtrum fęmina semen emittat, quod verum sit semen, & efficiente facultate præditum. Vtrum maris semen principium in se efficiens tantummodo habeat, an & materiale. Tertiò tanquam per appendicem, vtrum sit verum, quod nuper doctissimè aliqui viri existimarunt, semina vtriusque sexus generationi pro materia solummodo inseruire, efficiens vero esse calorem vteri, nec non calorem, qui vnà cum quadam vi à matris corpore per venas, & arterias in fętum dispensatur. Speculatio enimvero sublimis, difficillima, pulcherrima, & iucundissima. Ad sublimem ergo, & pulcherrimam hanc contemplationem, sublimia, & pulcherrima ingenia sua studiosi conuertant. Rerum enim tractandarum difficultatem, & obscuritatem, mihi credant, iucunditas, quæ ex illis percipietur, superabit. Diuido disputationem iuxta tria à me quæsita proposita in tres partes. In prima disputabo primum quæsitum, vtrum fęmina semen generet. In secunda, secundum, vtrum semen maris habeat in se principium tantum effectiuum, non passiuum. In tertia doctissimorum Neotericorum placitum recensebo. In prima parte primo loco sententiam Ar. declarabo: deinde illius, & sectatorum fundamenta adducam. Postea afferam sententiam Gal. & Medicorum cum proprijs rationibus, & singulis semper subnectam, si quæ erunt, Peripateticorum responsiones, & responsionum illarum confutationes, aliquas pro sententia Medicorum à me excogitatas rationes subiungendo: Mox fundamentis Arist. & sectatorum respondebo. Vltimò iuxta sententiam Medicorum rationem reddam de multis, quæ circa fœtuum generationem quæri solent.

Quod, vel teste ipso Ar.
doctrinæ rectè traditæ signum
certissimum
est.

Sen-

Sententia Ar. an fœmina semen generet. Cap. II.

EXistimauit Ar. ad generationem perfectorum animalium (quæ, vt ipse statuit secundo de gen. an. primo, & quarto, sunt ea, quæ intra se animal generant, & innexum gerunt) marem tantùm semen, fœminam verò tantùm menstruum præbere. Semen concurrere vt efficiens, menstruum autem tanquam materiam. Vnde primo de gen. an. 19. statuit idem esse menstruum in feminis, ac semen in maribus. Menstruum verò, vt ex doctrina sparsim ab ipso tradita elici potest, diuiditur dupliciter, in purum, & impurum, siue dicas in partem puram, & impuram. Impurum est, quod singulis quibusque mensibus excernitur, & si supprimatur, tot molestias in mulieribus parit, & ex hoc conceptus non fit. Nam tempore, quo fluit, virile semen retineri non potest, ob lubricitatem, quam tunc interna vteri superficies acquirit, aut si retineatur, elephantici fetus euadunt. Purum est, quod ad conceptionem concurrit, & ex eo, tanquam ex materia, partes fetus formantur. Hoc vocatur ab Ar. primo de gen. an. 20. semen non purum, sed indigens confectionis. Quòd si in coitu obseruatur, mulieres quendam humorem album emittere, dicit Ar. loco iam citato, hunc non esse semen, non menstruum, sed humiditatem quandam vteri propriam, & in alijs mulieribus emitti, vt candidioribus, & frigidioribus; in alijs non; vt fuscis, calidioribus, & uiraginibus. Adeo quòd, tantum abest secundum Ar. ut humor ille sit ad conceptionem necessarius, quod quinimo, neque etiam, ut aliqui imaginati fuerant, ad uoluptatem, quam percipiunt mulieres in coitu, quicquam conferat. Porrò iuxta Ar. effusio illius humiditatis albæ sequitur potius ad uoluptatem, non aliter, inquit Suessanus, ac tempore gaudij lachrymæ ab oculis emanant. Accidit enim uoluptas, teste Ar. loco citato, & expositore Suessano, in coitu mulieri propter motum titillatiuum spirituum ad partes genitales mulieris irruentium, non propter effusionem illius humiditatis. Sicuti etiam euenit in pueris, qui,

dum manibus genitale contrectant, persentiunt voluptatem quandam, etsi nil effundant, ob solam titillationem factam in radice membri à spiritibus illuc confluentibus. quemadmodum ergo cum spiritus calidi sint, tangendo meatus genitales, in eis titillationem efficiunt, atque eos dilatant, vnde in coitu scaturit humiditas dicta: sic in gaudio, cum spiritus omnes ad exteriores partes confluant, & præcipuè ad oculos, vt ad partes, quæ multos spiritus pro sua obeunda operatione requirunt, & admodum sunt porosæ, ab ipsis spiritibus calidis plus solito dilatatis meatibus, & poris, emanant lachrymæ. Humiditatem illam Auer. quoque secundo collig. 10. comparauit saliuæ, quæ effluit ex ore alicuius famelici, quando videt aliquem comedentem. Fœmina ergo secundum Ar. effundit menstruum impurum per certas periodos; in conceptione menstruum purum, in coitu humiditatem quandam albam vteri propriam, nullo modo semen. Menstruum impurum, & humiditas alba non concurrunt ad conceptionem, sed solum menstruum purum, quod est idem in fœminis, ac in maribus semen, & est materia, ex qua conceptus fit. semen vero maris efficiens est, formans conceptum.

Quod si quis hic in primo disputationis limine pulchram moueret dubitationem, dicendo non esse verum, fœminas perfectorum animalium, vt viuipara sunt, menstruum illud impurum emittere, cum præter quàm in mulieribus, ad sensum non appareat, & vt etiam Excellentissimus meus Præceptor, & conciuis Alexander Massaria lib. de morb. mul. cap. 1. videtur affirmare. Respondeo ego pro Ar. & primo dico. Ar. voluiße viuipara omnia menstruas habere purgationes, sed omnium maximè mulieres. & hoc clarè explicat Ar. 6. de hist. an. 18. & confirmat 7. eiusdem cap. 2. & primo de gen. an. 19 & 20. & 2. cap. 4. & 3. cap. 1. Imò primo de gen. an. 20. reddit rationem, cur, maximè omnium viuiparorum mulieres menstruas illas purgationes patiantur. Secundò dico, cætera præter mulieres animalia viuipara habere ex sententia Ar. has purgationes manifestè, quando coitum appetunt. Tertiò dico ex Ar. 6. de hist. 18. difficile admodum esse in brutis perfectis, præter tempus coitus, obseruare an menstruas purgationes habeant, nisi quis iamdudum

sequutus ea sit, & admodum assuetus; & hinc factum esse d. Ar. vt sint multi, inter quos se ipsum reponit Massaria, qui menses in omnibus viuiparis negent. Retulit vero mihi Reuerendissimus Abbas Franciscus Ciconia, (quem propter eius de rebus naturalibus scientiam, admirabilesque cæteras illius virtutes, atque meæ erga illum obseruantiæ gratia nominatum volo) se in quadam eius simia, singulis mensibus menstruas purgationes per spatium trium, & plurium dierum obseruasse. Vnde si quis in cæteris viuiparis diligenter animum adhiberet, idẽ in ipsis, vt Ar. voluit, obseruaret. Hæc autem ad istam dubitationem sufficiant.

Sententiæ Ar. rationes. Cap. III.

DEclarata sententia Ar. videamus quibus rationibus, & Ar. ipse, & eius sectatores, feminam semen non generare, probarunt. Primò ergo ex primo gen. an. 19. huiusmodi argumentum elicitur. Si fœmina semen generaret, illud, dum concipit, intra se emitteret: at multæ mulieres fatentur sine vlla emissione, atque sine vlla voluptate concepisse. Ergo fœmina semen non generat. Et Auer. 2. collig. 10. narrat historiam de quadam sua vicina, quæ in anima sua iurauerat, & de cuius sacramento confidebat multum, se, absque vlla voluptate, & seminis emissione, concepisse in balneo, in quo mali homines semen proiecerant.

Secundò ex 2. de gen. an. 4. arguitur sic. Si fęmina semen, vt mas, generaret, ex se ipsa absque maris congressu conciperet. consequens est falsum. Ergo & antecedens. Probatur consequentia. Nam vbi duo necessaria principia generationis, agens, & patiens, ac præterea locus, & tempus conueniunt, tunc, vt conceptio fiat necesse est. Agente enim, & patiente bene dispositis, & non impeditis necessario sequitur actio. Sed hæc omnia in fęmina adsunt, si semen emittat. Ergo absque maris congressu fœmina concipere poterit.

Tertiò ex secundo de gen. an. 4. & secundo coll. 10. arguitur sic. si humiditas alba, quæ in coitu ab aliquibus fœminis emittitur,

tur, esset semen, & in generatione fœtus partem haberet, vulua fœminæ illam non proijceret, & traheret ad se maris semen. Nam credere, vt suum proijciat semen, & postea alienum attrahat, inconueniens est. id enim frustra esset. Cum ergo propriam humiditatem expellat, maris autem semen attrahat, & retineat, signum est humiditatem illam ad generationem nil facere, & esse superfluitatem quandam (inquit Auer.) discurrentem propter delectationem, vt superiùs etiam diximus, sicuti ex ore famelici, quando videt aliquem comedentem, discurrit saliua.

Quarto ex primo de gen. an. 19. si mulieres semen producerent, tunc haberent duas naturales euacuationes inter se contrarias. alteram materiæ coctæ, idest seminis, alteram materiæ crudæ, idest sanguinis menstrui, quod fieri nullo modo potest. coctum enim à caliditate, crudum verò à frigiditate prouenit, itaque fœmina vno, & eodem tempore esset temperamenti calidi, & frigidi. quod est absurdissimum. quare cum mulieres menstruis redundent, necesse est, vt semine careant.

Quinto ex Auer. primo de gen. an. 20. Unius effectus naturalis vnica est materia, vnicum agens; at si fœmina semen generaret, atque illud ad generationem animalis concurreret, tunc vnius effectus naturalis duo principia efficientia, & duo materialia forent, semen maris, & fœminæ; quod naturæ instituto repugnat.

Sexto ex primo de gen. an. 20. Mulieres, & voce, & pilis, & corporis habitu similes sunt pueris; at hi semen non emittunt. ergo neque mulieres.

Septimo ex eodem loco, & secundo de gen. an. tertio, & quarto cap. 3. Fœminæ sunt mares quidam imperfecti, & defectus quidam naturæ; ergo nullam efficiendi, sed patiendi tantummodo vim habent: ergo semen, vt mares, non generant; cum hoc efficientis rationem habeat. essent enim eiusdem cum maribus perfectionis.

Octauo Ar. primo de gen. an. 19. signum affert, feminas in generatione fœtus non semen, sed sanguinem menstruum præbere. Nam mulieres, quæ nondum menstrua expertæ sunt, aut ijs carent, non possunt concipere; & cum conceperunt, statim

menstrua

menstrua cessant. ergo non semen feminarum, sed sanguis menstruus ad generationem concurrit. neque ergo semen emittunt.

Confirmat hoc idem eodem, & sequenti cap. Ar. Quia, quo tempore in uiris semen generari incipit, in feminis menstrua innotescunt, ergo quod est in feminis menstruum, in maribus semen est, & ita feminæ semen non habent, sed loco illius menstruum. Hæ sunt rationes Ar. & sectatorum.

Galeni sententia. Prima illius ratio. solutiones Peripateticorum. Cap IV.

GAlenus, contra Ar. lib. secundo de sem. 1. opinatus est, feminam semen generare; & inter cæteros vsus, quos illi tribuit, Hipp. sequutus in lib. de gen. & de diæta, & de natura pueri, hic præcipuus est; vt simul cum semine maris in vtero mixtum, non solum concurrat pro materia ad generationem fætus, sed etiam, vt efficiens. Quæ quidem Gal. sententia, cum ex progressu huius disputationis semper clarior fieri debeat, statim fundamenta, quibus innititur, subiungam.

Primo ergo secundum Gal. arguitur sic. Natura nil frustra agit, & vbi eadem organa ab illa instituta sunt, ob eandem operationem instituta sunt; sed organa omnia, quæ à natura in maribus semini procreando, excoquendo, & eiaculando dicata sunt, in feminis reperiuntur. ergo ad semen excoquendum, procreandum, & eiaculandum in fæminis à natura facta sunt. Maior vnà cum consequentia clara est. Minor per dissectiones anatomicas verissima inuenitur. Nam, & vasa præparantia, quæ sunt duæ venæ, & duæ arteriæ, vtrimque scilicet vna vena, & vna arteria, & testes, qui sunt excoquentia organa, & vasa duo deferentia, vtrimque scilicet vnum, in feminis conspiciuntur, vt in maribus.

Respondent Peripatetici, vt superiùs visum est, in vasis dictis reperiri quendam humorem serosum, & aquosum, quem aliqui etiam guttam albam appellant, sed nil excoctum, eundemque

vsum testes in fęminis habent, inquit Auer. primo de gen. an. 20. & secundo collig. 10. quem mammæ in maribus habent. Nam & in maribus visuntur mammæ, nemo tamen dixerit eas lac generare. Neque inquit Auer. quem deinde sequutus est Suessanus super primum de gen. an. in fine, ex eo, quòd testes, & vasa sint eiusdem figuræ in maribus, & in fęminis, sequitur, quòd huiusmodi partes easdem, ac in maribus, operationes perficiant. Nam figura inquit Sueßanus non agit: sed si organa in fęminis eßent eiusdem caloris, cuius sunt in maribus, tunc sequeretur, quòd eßent eiusdem operationis. Calor enim est causa seminis, non figura.

Alij cum Ar. tertio de hist. an. primo adiungunt, testes ad seminis generationem nil facere, neque ad hunc vsum à natura factos eße. Vult enim Ar. testes propter tres alios vsus à natura factos eße, vt colligitur ex primo de gen. an. 4. & 5. cap. 7 Primus vsus est, vt reuolutionem in meatibus seminalibus seruent. Ad hoc enim, ne quædam animalia multum essent ad Venerem propensa, natura in vasis seminarijs fecit multas reuolutiones, vt per multum tempus semen in eis poßet seruari, & non sic citò effluere; quemadmodum multas fecit reuolutiones in intestinis, ad hoc, vt quædam animalia non essent adeò voracia. Secundum vsum Ar. testibus ascribit, vt impediant, ne meatus seminales à pene retrahantur, & eorum cauitates occludantur. Retracti enim testes subsident in se, & conniuent. Ita textrices pondera telis adhibent, ne telæ contrahantur. Tertium vsum præstant secundum Ar. quòd suo pondere cum corde causantur quandam contentionem, & distensionem, per quam robur cordi additur. quare ipsis exectis redditur corpus debile, effęminatum, contingitque mutatio vocis. Cum enim testes meatibus seminalibus appensi sint, & meatus ex vena pendeant, cuius origo è corde est, ipsis exectis mutatio fit in corde, & robur, quod ex contentione habebat, amittit. parua autem in principio mutatio, magnarum mutationum in causa est. principia enim, quamuis magnitudine parua, virtute tamen magna sunt. Hi ergo, vt communiter tenent Peripat. sunt vsus, quos testes habent. Dicuntque, in vasis, quæ ad testes feruntur, nos dicimus præparantia vasa, semen generari. Testes vero

ad generationem non esse necessarios. Nam si verum hoc eßet, ex Ar. primo de gen. an. 4. in omnibus animalibus reperirentur, quæ generant, at multa sunt animalia, quæ generant, testibus carentia, vt pisces, & serpentes. Præterea scribit Ar. tertio de hist. an. primo, & primo de gen. an. 4. obseruatum fuisse taurum statim à castratione coiuisse, & generasse, & tamen testibus carebat. Quamuis ergo testes in fœminis, vt in maribus sint, non tamen ex hoc inferendum est fœminas semen generare.

Confutatio solutionum allatarum. Cap. V.

ARgumentum Galeni meo quidem iudicio est demonstratiuum; ideo contra singulam ex allatis responsionibus insurgo, & dico. Rem aliter se se habere, ò Auer. in testibus mulierum, & mammis virorum. siquidem in mammis virorum non reperiuntur glandosa corpora, vt in fœminarum mammis. Econuerso testes fœminarum non solùm glandosi, vt virorum testes sunt, verum etiam copiosò albo, & crasso humore referti. adeò quod, si mulierem aliquam, quæ morbo non extenuata fuerit, sed violenta morte interierit, dißecueris, in vasis præparantibus semen albescere, & circumfluere conspicies, æquè ac in vasis virorum, in ipsis vero testibus crassius, & perfectius. Quemadmodum ergo, si in omnibus maribus mammæ glandosæ essent, humoreque albo, quod lac ipsum repræsentaret, plenæ conspicerentur, non opus foret ratione inuestigare, an mares lac generarent; ita cum videamus in fœminarum testibus, & vasis seminalibus humorem album, & crassum, quod penitus substantiam seminis nobis repræsentat, testesque fęminarum, & marium eiusdem substantiæ eße, quid opus est rationibus quærere, an fœmina semen generet? Sed quæso ostendat mihi Auer. aliquem locum, in doctrina Ar. in quo mentionem aliquam de fœminarum testibus fecerit? quomodo ergo potest ipse Auer. concedere iuxta doctrinam Ar. fœminas testes habere, & postea diuersum illis vsum ab vsu testium ipsorum marium assignare? Afferam equidem

ego *Auer.* locum, in quo *Ar.* fœminas testibus penitus priuat. Primo de gen. an. 2. docens *Ar.* marem, & fœminam quadam virtute, & sui parte marem dici, & fœminam, & partes has adducens, inquit. ,, Partes vero huiusmodi sunt, fęminæ vteri, & ,, vuluæ; mari testes, & coles. In alijs quoque locis hoc idem scribit. Cum ergo mas à fęmina, testibus, vt parte propria, differat, quomodo potest concedere fœminas testes habere? proprium est, quod alteri non conuenit. Omnino obseruabunt studiosi, quod vbicunque ab *Ar.* de testibus sermo habetur, semper testibus vteros, vuluas opponit. Hoc clarè cernent, tertiò de hist. an. primo, & primo de gen. an. 3. Idem *Ar.* assignans cap. 4. primi de gen. an. testibus proprium vsum, solius maris testium vsum attulit, vt potest obseruare quilibet in littera. Quod si existimaßet fęminas testes habere, non ne tacendo illorum vsum diminutus fuißet? Imò confusus fuisset, & nos decepisset? si *Ar.* testes fęminarum cognouisset, nescio, an illas semen generare negasset, an potius id asserere coactus fuisset, vt testes marium semen genitale perficere fateri coactus fuit, quemadmodum in sequenti cap. ostendam.

Contra verò id, quod dicunt in vasis fœminarum, quæ circa testes sunt, contineri humorem quendam serosum, & aqueum, non autem semen. Iam, vt nunc dictum est, & cumulatius infra cap. 9. dicetur, hoc experientiæ repugnat, vt quilibet potest periculum facere. Deinde peto; si serosum, & crudum humorem solum continent, quorsum vasa illa tot reuolutionibus, tot intricatis gyris intorta fuere? forsan, vt emissionem crebram, & velocem seminis retardarent, & castiores fęminæ essent? Hunc vsum fictitium esse paulò infra in hoc eodem cap. ostendam. At amplius. Natura nunquam plexus formauit, nisi ad nouam ælaborationem, & perfectam coctionem, vt etiam in plexu choroide apparet. Præterea cur in plexibus illorum vasorum vena arteriam, arteria venam ingreditur, vt etiam in maribus contingit, & fit præclara illa, & tantopere celebrata anastomosis? Hæc certè anastomosis nullam aliam ob causam fit in maribus, nisi, vt ex spiritu, qui defertur per arterias, & sanguine, qui defertur per venas vnicum corpus fiat, quod est semen. Permixto enim simu

multo

multo spiritu cum sanguine, simulque excoctis, tum in vasis præparantibus, & plexibus illis, tum in testibus, corpus album, crassumque, quod est semen, generatur. Cum ergo anastomosis vasorum seminalium, quæ in maribus reperitur, in fœminis quoque reperiatur, non ne propter eundem vsum erit? Tot ergo plexibus labyrintheis, tanto artificio, tot spiritibus, ad crudi humoris generationem est opus?

Sed dicet forsan aliquis, opus fuisse magno artificio ad crudi illius humoris generationem. Nam ob illius emissionem fœmina voluptatem percipit, & sic appetit coitum, quem aliter non appeteret. Scio optime Galenum secundo lib. de sem. primo, & quarto, & 14. de vsu part. 11. hunc alium vsum, à superius assignato de eiusdem Gal. sententia, semini feminæ assignaße: sed quod Ar. hunc illi vsum ascripserit, aut possit ascribere neque scio, neque credo. Iam enim supra in secundo cap. demonstraui ex ipso Ar. in primo de gen. an. cap. 20. humorem illum qui in coitu à muliere emittitur, non eße in causa voluptatis, sed eße in causa motum titillatiuum factum à spiritibus, & ad hoc probandum aßumere in exemplum puerorum experimentum, qui, cum nil emittant, scalpendo tamen membrum voluptatem percipiunt. Deinde stantibus ijs, quæ iam attulimus, quomodo imaginari aliquis potest, vt humor, qui à feminis emittitur, sit crudus, & aquosus, & tamen tantorum spirituum cum eo permixtio facta sit? Quid ergo eadem organa, eodem modo fabricata non ne erunt ad eundem vsum? nonne erunt eiusdem operationis? Sed dicit Auer. & Sueßanus, ita quidem si essent eiusdem caloris. nam figura non est principium agendi, sed calor. Fugitis atramento sparso veluti sæpiæ, sed non ita fugietis, quin vos, vt credo, non capiam. Hæccine est responsio Peripatetica? Calor, & spiritus sunt commune instrumentum, secundum Ar. & operationes omnes tàm naturales, quàm animales perficiunt. Vnde ergo habet spiritus, vt in oculo visionem, in ventriculo chylificationem, in corde sanguificationem efficiant? Cur indeterminatè in quauis parte, hæ operationes non exercentur. Cur pes non videt? Cur manus non sanguificat? An quòd spiritus, & calor, qui in eo fundatur, in vna parte vnam operationem, in alia

aliam obeat, in causa est, non solum diuersitas graduum illius, qui in diuersis partibus reperiuntur, verum etiam diuersa partium organizatio? An sola partis temperies ad promendam actionem requiritur, an multo magis operationes à partium propria substantia proueniunt, quæ non in proportione qualitatum elementorum, sed in proportione substantiarum elementorum, ex quibus conflata est aliqua pars, consistit? Cum ergo testes feminarum, quantum ad eorum substantiam pertinet, assimilentur semini concreto, vt etiam testes marium, non ne etiam dicendum est ad eosdem vsus esse factos, easdemque operationes exercere, quas marium testes obeunt? Quid? non ne ad actionem necessaria est, & conueniens magnitudo partis, & decens figura, & cauitas, & positus? Figura ergo, licet in quantum figura, & geometricè loquendo, nil agat, quatenus tamen talis figura ad actionem facit, licet sola ad actionem haud sufficiat. An si oculus esset in pede, dubitares pedem videre? Sed dicit Suessanus non est idem calor in femina, & in mare. Concedo, & ob id dico, quòd femina non ita perfectum, vt mas, semen generat, maiorque in semine maris calor est; semen tamen generat, & verum semen. Magis, & minus non variant speciem. Quamuis ergo minus calidum, & minus perfectum semen femina, quàm mas, generet, attamen semen est.

At vltimo confugis ad illud, quod non ob generationē seminis testes facti à natura sunt, sed propter tres alios vsus. Sed demus propter quot uis alios vsus à natura factos esse, cum saltem meatus seminales in feminis, vt in maribus, reperiantur, meatusque hi per Ar. non testes ad generationem seminis facti sint, sequitur, vt feminæ, veluti mares, semen generent. At ostendo illos vsus testium ab Ar. excogitatos, non esse admittendos. Primus ergo vsus testium ab Ar. inuentus non uidetur recipiendus. Nam imaginatur philosophus, meatus seminales antequam testes attingant rectos esse, in testibus vero reuolutiones illas, plexus illos facere; quod clarè expressit tertio de hist. primo, & Suessanus sic Ar. in primo de gen. an. 4. interpretatur. At hoc non est verum. Nā per anatomen videmus meatus seminales, qui sunt duæ venæ, & duæ arteriæ, vtrinque scilicet vna vena, & vna arteria, & à

Medicis præparantia vasa dicuntur, antequam ad testes perueniant multis gyris intorqueri, & degenerare in varicosum quoddam corpus, simulque vniri, ita vt arteria venam, vena arteriam ingrediatur; Hæc autem vasa sic intorta aliqui pampiniformia, aliqui hæderi formia vocant; quia sic intorta capreolis vitium, hæderæue assimilantur. In his vasis semen præparatur, & incipit dealbari; fertur deinde ita præparatum ad quoddam corpus longum, candidumque vtrique testi adhærens, epididimida vocatum, vbi maiorem adhuc elaborationem suscipit, mox pro vltima elaboratione, & perfectione, per exiles, & complures quosdam meatus, & quasi fistulas à causis præparantibus deriuantes, atque ab epididimide ad testes tendentes in testium ipsorum substantiam corriuatur, mox ad vasa deferentia dicta extruditur, illinc ad variciformes parastatas, quæ sunt complures quædam vesiculæ, ab his per meatus quosdam insensibiles in penis canalem, in ea regione, in qua quædam glandulæ reperiuntur, glandosi præsides vocatæ, de quarum vsu video aliquo modo anatomicos inter se diuersos esse. Ex quibus patet testes non seruare, vt dicit Ar. replicationem meatuum, quandoquidem antequam illi ad testes perueniant, replicationem illam faciunt, & exiliores, & strictiores etiam euadunt. Deinde ostendo ego vsum reuolutionum vasorum præparantium ab Ar. assignatum fictitium esse. Si etenim reuolutiones illæ à natura institutæ sunt, vt semen remorentur, remorentur vero, non vt perfecte possit excoqui, vt dicunt Medici, sed vt dicit Ar. ne ita crebro, & velociter emittatur, tantum abest, vt propter illas crebro, & velociter non debeat emitti, quod quinimo creberrime, & velocissime emitti deberet. Cur? quia per anastomoses spiritus semini commiscentur, quo magis ergo impedictur ne possit effluere, eo maior multitudo spirituum cum eo commiscebitur, & sic maiorem turgentiam, & ob hanc, maiorem impetum acquiret, atque ideo cum maiori vi exitum quæret, & sic crebrius, & vehementius animal ad coitum stimulabit.

Melius ergo fuisset, vt, si aliqua animalia castiora esse decebat, natura ad coctionem seminis anastomoses tantum fecisset, non autem præter illas, etiam reuolutiones. Nam per has

impe-

impediendo semini exitum, impetum illi adiectura erat. Natura ergo reuolutiones, siue replicationes illas fecit, vt per moram, quam trahit sanguis, qui in semen debet commutari, perfectè coquatur, & perfectum semen euadat, non vt simpliciter retardetur, ad hoc, vt animalia non ita crebrò, & velociter ad coitum excitentur, & castiora sint. In piscibus autem, & serpentibus illas reuolutiones natura non fecit, quia sunt animalia imperfectiora, & ideo non tam perfectum semen generare debebant.


Sed quid dicam de secundo testium vsu? Mehercle mihi videtur ille vsus purum figmentum. Quam enim tensionem efficere possunt testes, siue postea per hanc probibeatur ne meatus seminales retrahantur, vt ex tertio de hist. primo, & primo de gen. an. 4. elicitur, siue robur cordi addatur, vt patet quinto de gen. an. septimo? Perexigui sunt ponderis testes, pendent ex corde per arterias, non rectas, sed obliquas, easque hærentes, alligatas proximis partibus; quomodo ergo tensionem facere poßunt? Quæ pondus habent, substantia densa constant, at testes spongiosi sunt. Quomodo pondere suo tensionem efficiendo, pampiniformes plexus, qui illis superiores sunt, non distendunt? Si debebant etiam contentionem facere, oportebat vasa, quibus sunt appensi, esse directa, non reuoluta. quorum enim in medio reuolutio aliqua est, ea nullo modo ab altera parte in alteram vsque, nisi dirigantur, intensionem admittunt. Quartò tanta est ante testes vasorum replicatio, vt, si dirigerentur (sicuti iam conclusimus debere dirigi, si contentionem debent efficere) ad media vsque femora pertingerent. vnde sequeretur, quòd nullis alijs hominibus vires inessent, præter quam illis, quibus testes admodum laxi, & pensiles sunt; atque ita senes decrepiti, quibus hæc affectio contingit, iuuenibus essent validiores, quibus nil tale accidit, quod est absurdissimum. Vlterius quibusdam animalibus, vt pennigeris, testes intus sunt dorso alligati, neque vllo modo penduli; non ergo in eum vsum sunt constructi, vt, tanquam pondera textricum, contentionem in corde causentur, & impediant, ne vasa seminalia retrahantur. Vltimò, & fortiùs. Si Ar. existimat testes, quia annectuntur vasis ab aorta descendentibus, tensionem in corde efficere, cur quæso non est dicendum renes, lienem multò magis hoc

præ-

præstare, cum sint cordi viciniores, & rami ab aorta ad eos spargantur magni sine vlla media reuolutione? Cur non adhuc istorum melius hepar? non ne sui magnitudine, vicinitate, firmitate, rectitudine cor ipsum tendere quàm maxime potest?

Restat soluere rationes, quibus Peripatetici testes ad generationem seminis necessarios non esse probabant. Non valet igitur, quod si testes ad generationem necessarij essent, & semen generarent, tunc animalia cuncta, quæ generant, testes haberent. Nam dicunt Medici, in omnibus animalibus testes habentibus necessarios testes ad generationem esse, non autem in omnibus animalibus generantibus. Deinde potest responderi, vt Ar. ipse de corde respondet, quòd quæ generant, vel testes habent, vel aliquid proportionale. Quod dicitur de Tauro, qui statim à castratione coiuit, & vaccam impleuit. Credo ego certissimè, quòd, si alicui hoc credenti testes exciderentur, quoduis aliud, non coitum appeteret. Sunt aniles fabulæ istæ. At dato, sed non concesso, quòd taurus coire potuerit, quis obseruauit vaccam post coitionem cum tauro castrato, alium taurum non admisisse, & grauidam factam fuisse? Sed dato etiam quod taurus castratus eam implere potuerit, dico id contigisse, quia semen iam vi testium elaboratum, & in vasis parastatis, non in meatibus seminalibus, reseruatum emisit.

Quibus omnibus hunc in modum confutatis, patet primum Galeni argumentum demonstratiuum esse.



Ratio-

Rationes, quibus demonstratur testes à natura propter seminis generationem factos fuisse. Cap. VI.

Sed postquam confutauimus vsus, quos Ar. testibus tribuit, pro integra Gal. argumenti firmitate, operæ precium est demonstrare, testes propter seminis generationem à natura factos fuisse, vt Gal. ipse existimauit, & in adducto argumento supposuit. An vero præter seminis generationem, alia quoque vi polleant, per quam mas masculeitatem, fœmina fœmineitatem (quæso ne nobis Ciceroniani irascantur) habeat, alterius est instituti quærere. Institui ego de semine, non de testium vi disputare. Testes ergo semen generare hac ratione primo docemur. Causa alicuius effectus illud dicendum est, quo posito, ponitur, & quo ablato, effectus ille aufertur, sed positis testibus in testes habentibus, & illis ablatis, ponitur, & tollitur semen, vt experientia notissimum est. Ergo testes semen generare dicendum est. Quid dicet hic Peripateticus? Illud esse causam alicuius effectus dicet, ad cuius positionem, & remotionem primo, & per se effectus vel ponitur, vel aufertur, & negabit postea ad positionem, & remotionem testium primo, & per se semen poni, & tolli, & cum Ar. affirmabit, poni semen positis testibus; quia testes sunt in causa, vt vasa seminalia distendantur, & aperta maneant, & illis ablatis, tolli semen, quia eadem vasa retrahuntur, & conniuent? Hanc equidem responsionem innuit Auer. primo de gen. an. septimo Non potest ad hæc recurrere Auer. Hæc omnia iam sunt reprobata. Confutauimus iam vsus illos testium. Quare sequitur, quod, positis testibus in testes habentibus, primo, & per se ponatur semen, & illis ablatis primo, & per se semen auferatur.

Secundò arguitur sic. Illa membra semen generare putandum est, quibuscum semen maiorem, quàm cum reliquis, similitudinem habet; at maiorem similitudinem habet cum testibus, quàm cum alijs membris. ergò testes semen generare dicen-

dum est. Maior de se clara est. Minor probatur. Nam si testium substantiam optimè considerabis, tibi videbitur ipsam veluti semen concretum esse, odorem seminis referet; quod de nullo alio membro contingit. Ergo semen maiorem cum testibus, quàm cum alijs membris, similitudinem habet. Simili argumento Gal. 6. de plac. Hipp. & Plat. cap. 8. probabat iecur sanguinem generare. Dicebat enim sanguinem maiorem cum illo, quàm cum alijs membris, similitudinem habere. Audiant studiosi Auer. ipsum secundo collig. cap. 10. Membrorum generationis, quædam sunt, quæ sunt propria fœminæ, sicuti vulua, & mammillæ, quædam sunt propria mari, sicuti testiculi, & virga. Sed testiculi fuerunt ordinati ad faciendum sperma, & ideo fuit caro eorum alba, & spongiosa, sicuti caro mammillarum; & ideo quando conuertitur sanguis, conuertitur ad similitudinem eorum, & faciunt ipsum album, sicuti hæpar conuertit chilùm propter suam rubedinem ad ruborem, quia vis est agentis assimilare sibi patiens suum.

Tertiò particula, cui nulla alia similis in toto corpore reperitur, semper est causa ratione propriæ, & peculiaris constitutionis, & substantiæ alicuius peculiaris operationis. Renes habent propriam substantiam, habent & propriam operationem. Sic iecur, sic lien, sic cor, sic cerebrum, sic omnia organa alicui actioni dicata. Testes habent propriam constitutionem, & substantiam diuersam ab omnibus alijs membris. ergo habent & propriam operationem, Talis operatio non est tensio cordis, non conseruatio reuolutionum, non meatuum reseratio, vt iam per rationes adductas visum est; & quia hæc tria à sola mole, & magnitudine testium, quacunque constitutione, & substantia præditi essent, effici possent, si attentè animaduerteris, & essent eius magnitudinis, cuius per positionem Ar. eße deberent. Ergo propria actio testium est seminis generatio.

Quartò idem hac altera inductione licet comprobare. Si enim omnes corporis coctiones mente percurras, videbis præparationem in uasis tantummodo fieri, coctionem uero, & elaborationem perfectam à partis substantia peculiari. Incipiamus à sanguine. sanguis in mesenterij uenis rudimentum aliquod adipiscitur, ru-

borem uerò, & formam sanguinis in solo parenchymate hepatis sibi conciliat. In exiguis cuiusque particulæ uenis tertiæ coctionis fit præparatio, sed à sola partis substantia perficitur assimilatio. Lac in uenis præparatur, in substantia glandosa mammarum dealbatur. Cum ergo seminis generatio fiat per ulteriorem coctionem, & perfectam elaborationem, teste etiam ipso Ar. primo de gen. an. 19. quæro qualis esse possit in hac coctione peculiaris alicuius partis substantia? Considera diligenter. Nam haud aliam inuenies peculiarem substantiam, quàm testium. A testibus ergo semen excoquetur, perficietur, elaborabitur, à uasis autem, quæ sunt supra testes, & habent substantiam communem cum reliquis uenis, & arterijs, præparabitur.

Sed quid? Ar. ipse ueritate coactus in primo de gen. an. 12. » confessus est testes semen perficere. Testes (inquit) alijs intus, » alijs extra, propterea quod ijs quoque operimento, & uelamine » opus est, tum ut seruentur, tum ut semen genitale perficere possint. » Patet ergo quod testes ad generationem seminis à natura procreati sunt, & quomodo Peripat. responsiones ad primum Gal. argumentum demonstrans semen gignere, nullæ sint. Cum ergo ad seminis generationem uasa præparantia, & pampiniformes plexus, & testes à natura facti sint, hæc autem omnia in fœminis reperiantur, necessario sequitur contra Perip. fœminas semen generare.

Quæ pro solutione primi argumenti Galeni excogitauit Costæus, eorumque confutatio. Cap. VII.


Conatus est alio modo uim allati argumenti infringere Ioannes Costæus lib. 5. physiolog. disq. Admittit ergo fœminas, & præparantia uasa, & testes habere, ut mares, uerùm inquit tantam esse harum partium in fœminis, & in maribus diuersitatem, ut nulla huius diuersitatis alia causa posit afferri, quàm uarius illarum in fœminis, & in maribus usus. Sunt in mulieribus

lieribus quoque testes, sed non extimi, ut in maribus, sed intimi, inquit Costæus. Sed quid tum? In auibus sunt intimi. ergo in auibus semen non generant? Sunt intimi in mulieribus, quia non oportebat illas extra, ut mares, sed intra semen effundere: & quia cum fęminarum testes frigidi essent, occultari debuerant. Sunt inquit Costæus in maribus testes grandes, spongiosa substantia, qua pressa semen exprimitur. In mulieribus sunt multo minores, substantia autem dura; ex quibus compressis aqueus, tenuisque humor exit: concedo quòd sint minores: nam & minus calidi; calidi autem est extendere, & uniuersaliter omnia membra fęminarum minora membris marium sunt, & fęmina ipsa mare minor, quia frigidior. Scribebat Ar. secundo de gen. an. 1. Quod enim maius est, id à facultate ampliori moueri necesse est, mouere autem calor potest; Nego autem quod testes fęminarum sint substantia dura; imò dico quod sunt molles, quàmuis non ita, ut marium, quemadmodum experientia patet. ueluti eadem apparet non tam tenuem, & aqueum humorem ab illis exprimi, ut sibi finxit Costæus. Nam quamuis minus craßus quàm maris sit, formam tamen seminis repręsentat, ut supra cap. 5. dixi, & ad huc magis declarabitur infra cap. 9. Testibus, inquit Costæus, non sunt coniuncti seminarij meatus in fęminis, ut in maribus. Imò eo interuallo ab ijs disiuncti, quod dimidij digiti crassitudinem ęquet, neque alia ratione, quam tenuissima membrana annexi. Sunt graciles, & angusti, minus quàm in maribus flexuosi (et tamen flexuositas illa secundum Medicos ad seminis concoctionem tanti est usus) breuiores, et habent aqueum humorem, non crassum, ut semen, et hunc, nullo in testes ingreßu, in uteri cauitatem rectà ferunt. Cum ergo hoc inter partes, quæ ad seminis effectionem à natura factæ sunt, discrimen in fęmins, et maribus appareat, non alia profectò afferri potest causa huius discriminis, quàm uarius usus. Cumque partes dictæ in maribus officio generandi seminis fungantur, ut, non idem munus in fęminis exerceant, necesse est. Nescio an hęc, quę profert Costęus, sibi in mente finxerit, an illa didicerit à Fallopio in suis illis minimè elaboratis scriptis anatomicis. Meatus enim seminales in fęminis (ut studiosi ex Magno illo Andrea Vesalio, et altero Illo doctissimo Andrea

Laurentio discere poßunt) sunt coniuncti cum testibus, varijs anfractibus implicantur antequam ad testes perueniant, neque recta feruntur ad fundum vteri. Sed quod decepit Costæum, hoc esse puto. Meatus seminales, quamuis in viris, & mulieribus sint duæ venæ, & duæ arteriæ, & eorum exortus similis in vtroque sexu, insertio tamen, & distributionis ratio est multum dissimilis, vt duo doctissimi nominati Andreæ obseruarunt. Nam vasa hæc in viris tota, & integra ad epididimida, & testes feruntur, at in fęminis, & vena, & arteria bipartito finduntur, harum vero maior portio ad testes fertur, & varijs anfractibus prius implicatur ad seminis pręparationem, minor vero portio ad vteri fundum spargitur. An ergo Costęus animaduertit tantummodo minorem horum vasorum portionem, non autem maiorem, & sic deceptus fuit, credens testes in fęminis non esse cum uasis pręparantibus coniunctos? atq; insuper per eandem minorem portionem semen, absque vllo in testes ingressu, in cauitatem uteri excerni, cum tamen menstrui portio per illam excernatur, vel uterus per illam nutriatur? clarè autem infra cap. 9. apparebit semen à testibus per uteri cornua excerni. Quod si Costęus diligentem habuißet dißectorem, obseruaßet ulterius, à pręparantibus uasis, & testibus oriri alia duo uasa, deferentia uocata, breuiora quidem, quàm in uiris, ut etiam uasa pręparantia breuiora sunt, ut ipse dicit (nam & pręparantia, & deferentia in fæminis, ut in maribus, abdominis cauitatem non egrediuntur, quia intus, non extra fęminę debebant semen effundere) sed tamen magis flexuosa, ad hoc, ut uię breuitas multitudine flexuum compensaretur, neque ad collum uesicę, ut in maribus ferri, sed ad cornua uteri, in quę semen eructant. Vasa ergo pręparantia, meatus seminales uocata, testibus in fęminis coniunguntur, & flexuosa sunt, & non nisi per ingressum in testes, humorem, quem uero semini possis comparare, in cornua uteri transfundunt. Sunt autem in fęminis uasa pręparantia gracilia, & angusta. Nam omnia in fęminis, ut supra dictum est de testibus, minora sunt, & frigidiora, ideo uasa illa pre frigiditate non tantum in fęminis, quantum in maribus dilatari potuerunt. Partes ergo omnes, quę semini gignendo sunt dicatę, in fęminis reperiuntur, & omnes necessarias conditiones

habent,

habent, quæ pro huiusmodi munere fungendo requiruntur. Si aliqua verò dissimilitudo inter has, & marium intercedit, hæc illis non tollit aliquam eßentialem conditionem. Vnde discrimina inter partes fœminarum, & marium genitales assignata, non possunt diuersum vsum illarum arguere, sed bene discrimen aliquod ponere inter semen masculeum, & femineum. Fœmineum enim masculeo debilius, & frigidius est, maioremque ad patiendum potentiam habet. Concedo ergo diuersitatem illam instrumentorum in causa eße alicuius differentiæ, verùm accidentalis, non essentialis. Porrò argumentum Gal. fundatur super hoc. Quod vbicunque organa destinata à natura pro aliqua operatione obeunda reperiuntur, neque eis necessaria aliqua conditio pro illa obeundæ desit, ibi actionem illam exerceri necesse est. At partes, quæ ad generationem seminis à natura institutæ sunt, in feminis cum omnibus conditionibus, quæ essentialiter requiruntur ad talem generationem, reperiuntur æquè, ac in maribus, quamuis in aliquibus conditionibus accidentalibus differant; ergo generatio seminis in feminis fieri neceße est. Maior per se clara est. Minor probatur. Nam partes, quæ destinatæ sunt ad effectionem seminis, sunt vasa præparantia, testes; conditiones essentiales sunt, flexuositas in vasis præparantibus, & glandosa testium substantia. hæc autem omnia sunt in feminis; quemadmodum etiam partes, quæ necessariæ sunt ad emissionem seminis idest vasa deferentia; varicosos autem parastatas feminæ non habent; at hi ad emissionem necessarij non sunt. Integrum ergo primi argumenti Gal. robur manet.



Aliæ

Aliæ Gal. & Medicorum rationes probantes fœminam ſemen generare. Reſponſiones Peripat. & illarum confutationes. Cap. VIII.

SEd pergamus oſtendere fœminas ſemen generare. Certiſſimum eſt in coitu aliquid à mulieribus emitti cum voluptate; aut ergo illud eſt ſanguis menſtruus, aut aquoſus quidam humor, aut ſemen. Sanguis menſtruus non eſt, vt quilibet potuit experiri. Nam quod ab illis emittitur non eſt rubrum; neque tempore, quo fluunt menſes, voluptas vlla perſentitur; ſeroſum humorem non eſſe, vt dicunt Peripatetici, mirabilis vaſorum præparantium, & plexuum ſtructura, vt in maribus reperitur, conuincit, ut enim dictum eſt ſupra cap. 5. vaſorum plexus propter vlteriorem cōcoctionem à natura ſunt facti. ergo eſt quid excoctum, eſt ſemen.

Præterea arguo ego ſic. Sicuti viri ex frequentibus congreſſibus cum fęminis exoluuntur, ita & mulieres, vt nemini, qui rem cum illis habuerit, & de hac re illas interrogauerit, quæ integra ſanitate, & ſalubri conſtitutione ſecundum omnes partes corporis gaudebant, non debet experientia conſtare; at viri nō exoluuntur, niſi ex emiſſione ſeminis. ergo & fœminæ non niſi ex emiſſione illius. ergo fęminæ ſemen generant, non ſeroſum, & crudum humorem, non ſpeciem quandam excrementi (vt auſus eſt dicere Coſtæus) cuius propulſione natura ſubleuetur. Hoc argumentum contra Ar. habet vim maximam. Cum enim Ar. in primo de gen. an. 19. in principio concluſiſſet ſemen eſſe excrementum alimenti ſanguinei, quod vltimum in membra digeritur. Hoc confirmabat quodam ſigno. Nam magnam vim habet reſoluendi illum, à quo ſecernitur. Sanguinis enim ſinceri (inquit) ſalubriſque ſeceſſio reſoluere poteſt. Tunc ſic. ſeceſſio ſeminis in maribus, quia eſt ſanguinis ſinceri, & ſalubris, habet vim magnam reſoluendi mares. ergo cum humor, qui à mulieribus in coitu emittitur, illas reſoluat, erit excrementum vltimi alimenti ſanguinei,

quod

quod in membra distribuitur, pars sanguinis sinceri, & salubris, proinde semen, non excrementitia superfluitas, vt dicit Costaus, aut serosus humor, & humiditas aquosa, vt Peripatet.

Quartò loco mulieres non minorem ipsis viris certè voluptatem in coitu sentiunt. At viri hanc percipiunt ex emissione seminis. ergo & mulieres. Respondet Ar. primo de gen. an. 20. voluptatem, quæ in coitu sentitur, non solum semine exeunte fieri, verum etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur, & exemplificat in pueris, vt supra dixi cap. secundo, & quinto, voluptas ergo per Ar. in feminis ex spiritu exeunte fiet, & titillante, non autem ex seminis emissione. nam secundum ipsum, semen non emittunt. Spiritus genitalis (inquit Suessanus) licet non sit consistens in semen, cum mouetur ad membra genitalia, titillando voluptatem efficit non paruam. Et sic argumentum adductum est nullum. At ego contra hanc responsionem insurgens. accipio ex Ar. ipso secundo de gen. an. 4. Magna ex parte accidere, vt cum profusione cuiusdam humoris fœmina concipiat, ipsique voluptas vnà cum profusione contingat. At quæ magna ex parte fiunt, ea maxime secundum naturam sunt, primo de gen. an. 19. Si ergo voluptas accidit feminæ simul cum profusione humoris, quem in coitu emittit, voluptas autem hæc ex spiritu exeunte fit, siue dicas accurrente, non ne spiritus cum humore, quem in coitu emittit, simul exibit? Fiet simul voluptas, & perfusio, & non simul spiritus, qui est causa voluptatis, cum humore exibit? Quo maior ergo quantitas spiritus erit, non ne maior voluptas percipietur? Sed cum maximam mulieres ipsæ voluptatem persentiant, non ne bonam copiam spirituum consistere in humore, quem emittunt, necesse est? Sed si spirituum copia cum eo commisceatur, in eoque consistat, non ne semen dicendum erit? non ne verum semen erit, cum multis spiritibus, vt etiam masculeum, affluat? Fugies forsan dicendo, licet exeant spiritus, vel ad partes genitales mulierum confluant, non tamen commisceri cum humore, qui in voluptate emittitur; & imaginaberis per alias vias spiritus, per alias humorem exire. Non credo ita fugere poteris. Nam quod emittitur, in venis, & arterijs, quæ ad vterum pertingunt, continetur: at spiritus non possunt ad partes genitales, nisi per hęc vasa, accurrere.

currere.

currere. Vnde necesse est, vt cum eo, quod emittitur, commiſceantur. In maribus maxima ex parte per vaſa præparantia, & deferentia ſpiritus ad partes genitales accurrunt (dico maxima ex parte, quia cum totum corpus ſit tranſpirabile, & vnus ſit totius conſenſus iuxta Hipp. paucos aliquos ſpiritus per ramulos alios ad partes genitales irruere poſſunt). Cum ergo hi ijdem meatus, hæc eadem vaſa in fœminis conſpiciantur, cur per hæc ſpiritus, in fœminis etiam, ad eaſdem partes non accurreret? At cum in his vaſis per diſſectiones pateat humorem album contineri, quem fœminæ emittunt, cur ſpiritus cum eo non miſcebuntur? Vaſa etiam iſta longè ampliora omnibus venis, & arterijs ad partes genitales fœminarum tendentibus ſunt. Cur ergo ſpiritus non potius exibunt per illa, quàm per has? Cur non longe plures per illa, quàm per alia? Sed dicent Peripat. ſpiritus commiſceri in tranſitu ſolum cum humore illo. Sed hoc modo non fieri veram mixtionem ſpiritus cum eodem humore, ſed tantum iuxta poſitionem, vt contingit in emiſſione lachrymarum in gaudio, de qua ſupra cap. 2. dixi. Proinde non licere ex hac commixtione arguere humorem, quem mulieres emittunt, ſemen eſſe. At ego dico. quòd ſi viæ, per quas dictum eſt ſpiritus exire, eſſent directæ, poſſemus credere ſpiritus cum humore illo non verè permiſceri; at non ſunt directæ, ſed admodum reuolutæ, & reuolutiones illarum pro concoctione humoris in illis contenti à natura factæ ſunt, vt patet ex capi 5. ergo mediante concoctione ſpiritus cum humore illo permiſcentur, & ſic per veram mixtionem. Quo circa ſemen eſt.

Verum inſtabit quis ad principale argumentum ex Ar. primo de gen. an. 19. Mulieres concipiunt abſque vlla aliquoties voluptate. ergo non ex emiſſione ſeminis percipiunt voluptatem. Et inſtabit vlterius aliquis, per deductam iam à me rationem ſequi, æquè perfectum eſſe fœmineum ſemen, ac maſculeum. Si quidem ex magnitudine voluptatis deduxi multitudinem ſpirituum cum ſemine commixtorum. ob ſpirituum enim maiorem, vel minorem quantitatem, magis, & minus perfectum ſemen euadit. At voluptas in fœminis non eſt minor multoties, quàm in ipſis viris. ergo habebunt æquè perfectum ſemen. Ad hanc vltimam inſtantiam.

Primo

Primo loco respondendo dico. Me argumentum ex concessis ab Ar. deduxisse; vocant argumentum ad hominem. Ex altera tamen parte non me latet voluptatem, quę in coitu persentitur, aliunde; quàm ex multitudine spirituum, pendere. Porrò voluptatis, quæ per coitum persentitur, causę tres à doctissimo Andrea Laurentio, quem semper in anatome pro sicurissimo duce sequar, in viris recensentur. Præter has autem tres, in fœminis quarta inuenitur. Prima est seminis turgentis, & quasi prurientis titillatio. Turget autem semen ratione spirituum impetum facientium. nam semen sine spiritibus, quale per gonorrhæam profundi solet, voluptatem nullam parit, neque verum semen est: vt statuit etiam Fernelius lib. 7. physiolog. 4. Vnde etiam ob paucitatem spirituum, qui Venere abutuntur, & frequenter coeunt, minorem percipiunt voluptatem. De hac causa videant quoque studiosi Ar. primo de gen. an. 18. circa medium. Sola recitata causa ad voluptatem non sufficit, sed requiritur altera, & secunda, quæ est excretionis celeritas. Vt enim dolor non excitatur, nisi confertim, & celeriter fiat alteratio, auctore Platone in Timeo, Hipp. lib. de loc. in homine, & Gal. primo de sympt. caus. 6. in semine paulatim fluente, & pudendis veluti collachrymantibus voluptas nulla excitatur. Tertiò requiritur ad voluptatem spermaticarum partium sensus exquisitissimus, & earundem angustia. Ita enim titillatis partibus, & confertim, celeriterque reductis, quæ distendebantur, uasis in naturalem statum, situmq;, voluptas ingens excitatur. Quarta adiungitur causa in fœminis, celeres, confertim facta masculei seminis in vterum attractio; quod certè attrahunt præcipue, cum concipiunt, sed etiam, cum non concipiunt; per quam attractionem titillatio in tota vteri ceruice fit, & sic mulieres miram dulcedinem percipiunt. Vnde cum doctissimo Fernel. lib. 7. physiolog. 8. rectè soluitur problema illud, ita difusè exagitatum à Bottono in suo lib. de Morbis mul. (& ab alijs) an mulieres maiorem voluptatem, quam viri in coitu persentiant. Nam mulieres pluribus modis oblectantur, quia & semen effundunt, & virile prolectant: quo quidem modo Tiresias in fabulis mulierum partes tutatus est; sed intensior est virorum voluptas: quia semen calidius, magisque spirituosum,

celerius, & quasi saltu quodam per partes exquisitioris sensus in uiris excernitur. Quibus stantibus clarum est quomodo, quamuis fœminæ aliquoties non minorem, vel etiam maiorem voluptatem ipsis maribus persentiant, non liceat ob id arguere illas vel ęquè perfectum, vel magis perfectũ, quàm mares, semen generare. At quomodo Ar. qui voluptatis causam solos spiritus exeuntes agnoscit, non cogetur affirmare, fœminas magis perfectum semen, quàm mares emittere, quotiescunque maiorem ipsis maribus voluptatem in coitu persentiunt? Facilè quinetiam diluitur prima instantia, qua dicebatur mulieres concipere sine vlla voluptate. Concedo enim quòd aliquæ tales reperiantur. Sed dico huius rei causam non esse, quòd semen non emittant, aut quòd multi spiritus cum eo commixti non sint, sed quia partes, per quas semen transit, ignauiores habent, & obtusi sensus, vel naturaliter, vel quia excrementitio aliquo viscoso humore scateant, aut easdem laxiores, & largiores ita, vt semen in egressu titillationem non efficiat, neque cum saltu, impetuue ruens egrediatur. Adeo quod ob defectum aliquem in partibus, per quas semen in fęminis transit, aliquæ concipiunt absque vlla voluptate. Quod si secundum illas partes bene sint dispositæ, impossibile est, quòd sine voluptate concipiant. At debemus semper argumenta desumere ab ijs, quę bene, & naturaliter se habent, non autem ab ijs, quæ malè, et morbosè. Sed ad hanc instantiam alia afferam in fine huius primæ partis meæ disputat: in demolitione fundamentorum opinionis Ar. Non possum autem hic vnum silentio inuoluere contra hanc instantiam, & est hoc. Quòd ego multas mulieres interrogaui de voluptate, quam sentiunt in coitu. Et omnes responderunt, se nunquam sine ingenti voluptate concepisse, quamuis aliquæ earum non multam voluptatem in coitu percipere solitæ fuerint; & narrauerunt vlterius signum euidens, & certum illis fuisse, quòd conceperant, cum maiore, quàm sui moris fuerit, voluptate perfusæ fuerunt.

Galenus 14. de vs. part. 9. & cum eo quidam anatomici uisi sunt aliam, tam in maribus, quàm in fœminis voluptatis coitus causam, præter tres à doctissimo Laurentio assignatas, adinuenisse. Dicunt enim voluptatis quoque causam esse salsum serosum

sum humorem, qui à spermatico venoso vase orto à sinistra emulgente ad testem sinistrum tàm in mare, quàm in fœmina defertur; & qui in fœminis vlterius, per ramum minorem spermatici sinistri vasis, ad vteri fundum spargitur. Cum autem committantur hic fines vasorum, quæ in sinistrum sinum matricis sunt diuisa, cum finibus eorum, quę in dextrum eiusdem sinum sunt distributa, fit, vt dextra etiam pars vteri portionem illius salsi humoris serosi adsumat. Quare in toto vteri fundo huiusmodi humor recipitur. Sicuti ergo serositates incalescentes sub cute pruritum afferunt. Sic humor ille serosus in vasis seminalibus, & vteri substantia contentus, incitat ad se excernendum, & pungit, & per fricationem Veneream expirans dulcedinem affert. Sed, vt ingenue fatear, hæc dulcedinis causa suspecta mihi est. Et primo quod spectat ad serosum salsum humorem in maribus per sinistrum vas seminale venosum effluentem, narrat Realdus Columbus lib. 11. cap. 13. de re anat. se multos nouisse, quibus, vt ab hernia intestinali, quæ à Grecis enterocele dicitur, sani euaderent, testis sinister ablatus fuerat, qui tamen dum mulieribus coirent, eadem voluptate, qua antea, perfrui se solere affirmabant. Clarissimum est autem in semine istorum salsum serosum humorem prouenientem à sinistra emulgente non potuisse contineri ob sinistri testis abscissionem. Quod spectat ad eundem humorem serosum ad vteri fundum deriuantem. Si natura instituißet, vt hic humor pruritum excitaret, & per fricationem Veneream expiraret, cur non potius ad vteri ceruicis internam partem, in qua à pene fit fricatio, quàm ad eiusdem fundum demandaretur? quomodo in grauidis, in quibus vterus in amplam magnitudinem est extensus, & ob id eius fundum multum à ceruice distat, poßet Venerea fricatio eße in causa transpirationis humoris ad vteri fundum transmissi?; & tamen grauidæ in coitu maiorem dulcedinem percipiunt, quàm non grauidæ. Taceo quod, in quamcunque vteri partem humor ille deriuet, pruritus, quem excitat, non poteſt eße nisi morbosus, vt pruritus ex serositatibus sub cute incalescentibus morbosus est. Voluptatis ergo causæ omnes vtriusque sexus tutius solummodo in seminis turgentiã, celerem emissionem, attractionẽ, exquisitum sensum partium genitalium referendæ sunt, humore

ſalſo ſeroſo omiſſo. Ex dictis licet duo deducere. Primum eſt non poſſe ſtare ſimilitudinem, quā Peripat. afferunt inter humorem, quem fęminæ in coitu emittunt, & lachrymas, quæ in gaudio ab oculis emanant. Nam lachrymę non confertim, & celeriter fluunt. ſine ulla circa oculos titillatione, & dulcedine fluunt. Vnde etiam ſequitur quod copioſorum ſpirituum illis permixtio non fiat. Secus ſe habet de humore, quem fęminæ in coitu profundunt. Nam cum magna circa partes genitales titillatione, & dulcedine profunditur, confertim, & celeriter, ut etiam in uiris, quemadmodum licet eas interrogare, & ex motionibus, quas in emiſſione efficiunt, licet colligere. In emiſſione enim uiros penitus in omnibus imitantur. Vnde etiam ſequitur, quòd copioſi ſpiritus cum humore, quem fęminę emittunt, permixti ſint.

Secundò licet pro confirmatione iam allati argumenti talem rationem conficere. De ratione humoris in coitu emiſſi eſt, ſi debet cum dulcedine emitti, ut ſpiritibus turgeat, & celeriter, & confertim moueatur. Humor à mulieribus in coitu emiſſus, cum dulcedine emittitur, ergo oportet ut ſpiritibus turgeat, & celeriter, & confertim moueatur. At humor ſpiritibus turgens, & celeriter, & confertim motus in coitu, ſemen eſt. ergo mulieres ſemen generant, & in coitu emittunt.

Quintum Galeni Argumentum. Peripatet. reſponſio. Eius confutatio. Cap. IX.

EVidens argumentum fęminas ſemen generare, et in coitu effundere ex eo habetur. Quia ſi diſsecueris bruttorum fęminas, cum in Venerem ſtimulantur, uidebis uaſa earum ſeminalia, & teſtes humore albo, & craſso maximè plena eſſe, poſt coitum ſtatim uacua. Similiter non pauca talis humoris copia in fęminis, quæ iam diu aut conceperunt, & grauidæ ſunt, aut à coitu abſtinuerunt, conſpicitur in uaſis, quę uteri cornua ingrediuntur. Hæc autem uaſa, ſi ſtylum.ſ. extrinſecus in ipſa immittas, uidebis in cauitatem uteri penetrare. quare eò etiam humorem illum tranſfundere pro certo habendum eſt. Diſſeca ſimiliter mares tempo-

re,

re, quo libidine ualde tentantur, uidebis in ipsis uasa seminalia, & testes plurimo albo, & crasso humore referta, post illud tempus, ferè uacua. Si hic humor est in maribus semen, in feminis uero, ut dicit Ar. non, sed est humiditas excrementitia loci propria, quæ ad conceptum ex primo de generatione an. 19. & 20. & secundo eiusdem quarto, nil confert, quomodo albedine, & crassitie semen maris æmulatur? si semen non est, cur notas seminis habet? si nil ad cōceptum confert, cur in maiori copia tempore coitus, quàm alijs temporibus, ut etiam in maribus contingit, à natura congregatur? Auer. ac Suessanus afferunt quandam responsionem, & ut ego puto, eam ex Ar. 2. de gen. an. 4. colligunt. Congregari scilicet tunc, ad hoc, ut in coitu emissus, lubricum reddat matricis collum, & melius matrix aperiatur, & sic melius semen masculeum possit attrahere. At sciant, quod longè aliter se res habet de humoribus oleosis, qui pro obliniendis, et lubricis reddendis aliquibus partibus à natura instituti sunt, ac se habeat de humore, qui in uasis fœminarum seminalibus reperitur, & in coitu emittitur. Consideremus partes à quibus oleosæ lubricantes humiditates proueniunt. Et quia Auer. sibi complacuit comparare humorem, quem feminæ in coitu emittunt, saliuæ, quæ in os discurrit, consideremus paristhmias glandulas, quæ asperam arteriam, æsophagum, linguam oleosa humiditate irrigant. Vbi iuxta illas, ut iuxta feminarum testes, reperies plexus uenarum, & arteriarum. Vbi harum anastomoses? An quia humiditas uiscosa oris partes irrigans non indiget perfecta coctione, & celebratione, ut indiget humor, qui in testibus, & uasis seminalibus fœminarum uisitur, non opus est ad eius generationem aliquo plexu, & anastomosi? ergo generatio humorum uiscosorum oblinientium aliquas partes differt à generatione humoris, qui in testibus, & uasis seminalibus fœminarum reperitur. Differunt generationes, ergo differunt generantia. Si differunt generantia. ergo & generata. Cum omnes agens agat, ut assimilet sibi passum. Si generata. ergo humor, qui in feminarum testibus, et uasis seminalibus reperitur, differt ab humore uiscoso oris partes irrigante, & ab omni alio simili. si inter se differunt, & maximè differentia, quam explicaui, quę est essentialis, non accidentalis, ergo nō habent eundem usum,

& à primo ad vltimum humor, qui in testibus, & vasis seminalibus fœminarum reperitur, à natura pro obliniendа solum interna colli matricis superficie, ut melius matrix attrahat semen virile, non est institutus, vt dicunt Peripatetici.

Præterea humor pro oris partibus, & alijs humectandis continuè debet sensim, & sensim effluere, & certè sic effluit. at humor in testibus, & vasis seminalibus mulierum contentus in coitu tantummodo effluit, & celeriter, & confertim. ergo hi humores diuersum vsum habent. Quòd humor in testibus, & meatibus seminalibus mulierum contentus, solum tempore coitus, aut alterius similis fricationis, profluat, probatur per ea, quæ supra diximus. Nam si dissecentur. feminæ tempore, quo libidine tentantur, ante coitum, testes & seminalia vasa plena, post coitum statim, vacua habent. Quod si continue proflueret humor, licet sensim, & sensim non ante coitum illo vasa plena esse possent; vel si plena essent, non indigerent fœminæ coitu pro illis euacuandis. nam paulatim de se vasa exonerarentur, quemadmodum de partibus, quæ viscoso humore vicinas partes irrigant, contingit. Præterea narrat Gal. 6. de loc. aff. 5. & secundo de sem. 1. historiam de quadam vidua (illique historiæ quotidiana fauet experientia) quæ detineri neruorum distentione videbatur ob retentum semen, quod solebat, quando proprium virum habebat, in coitu emittere. Quo circa cum iussu Gal. illi viduæ ab alia muliere pudendum intromissis digitis contrectatum fuisset, oborta titillatione copiosum, & crassum semen cum labore emisit, & dicebat, non obstante labore illo, in emissione similem voluptatem percepisse ei, quam alias in coitu percipere consueuerat. Ex hac historia patet non continuè humorem, qui in testibus, & vasis seminalibus mulierum continetur, destillare. vt contingit de humore oleoso supradicto. Nam si continue destillaret, non posset congregari in tanta copia, neque esset opus naturæ suppetias ferre, procurando pudendi muliebris fricationem similem illi, quæ à mentula fit. Glandulæ enim, quæ viscoso humore abundant pro irrigandis partibus, ex se humorem illum euacuant, neque ope externa indigent. Sed quod omnium maximè responsionem allatam à Peripat. destruit, est, quòd ipsi statuunt humorem, quem mulieres in coitu emittunt, non

esse

esse necessarium ad conceptionem. nam talis humor secundum Ar. primo de gen.an. 20.& 2.cap.4.aliquoties non emittitur, & tamen fit conceptio; si quando verò emittitur, ad melius emittitur. Humor autem viscosus partes obliniens neceßarius est, non aliquando emittitur, aliquando non. Quòd hoc sit verum. Consideremus rem in exemplo aßumpto. si continuè oris partes non irrigarentur humiditate oleosa, quomodo gustare aliquam rem, quomodo loqui, quomodo mandere, quomodo deglutire possemus? Nulla ergo similitudo reperitur inter humorem oris partes irrigantem, & alios similes, & eum, qui in testibus, & vasis seminalibus fœminarum reperitur. Quid dices modo bone Auer.? Videtur ne tibi, quòd humor, quem fœminæ in coitu emittunt, sit veluti saliua in os famelici discurrens? An saliua illa famelici non est saliua? non scaturit à glandulis ijsdem, à quibus reliqua omnis saliua?

Ex his licet dictum quoddam Suessani refutare. Scribit Suessanus super primum de gen.an. pag. 47. guttam, quam mulieres in coitu emittunt, & quam dicit vtilem eße, vt matrix aperiatur, & semen virile deglutiat, per eosdem meatus emitti, per quos sanguis menstruus scaturit. Hoc autem falsissimum est. Iam enim ex dissectionibus diximus apertum esse, humorem, quem emittunt, contineri præcipuè in vasis, quæ ad cornua vteri pertingunt. Et stylo in vasis illis immißo, nos cernere in cauitatem vteri penetrare. ergo per meatus, qui ad cornua vteri tendunt, humor albus in coitu à mulieribus emittitur: At vasa, per quæ menstrua expurgantur, non sunt meatus ad cornua vteri peruenientes, sed rami ab hypogastrica vena ad vterum sparsi, et (si ita placet) ramus ille minor à spermatica vena proueniens, de quo in super. cap. mentionem feci. Innixus huic suo principio Suessanus, vt gutta, quam mulieres emittunt, expurgetur per meatus, vt iam dictum est, per quos menstruum pag. 60. dicit, testes in feminis factos fuiße, vt menstruum præparationem accipiat. ergo sequitur secundum Sueßanum, quod menstruum per testes permeans ad vterum perueniat, & per ipsum expurgetur, quod à sensibus non solum alienum est, verum etiam inimaginabile. Vide quomodo dato vno inconuenienti plura sequuntur. Negant verum-

rum vſum teſtium fœminarum, negant ſemen illarum, & verum illius vſum. inducuntur poſtea ad hæc abſurda proferenda. Magna certè res eſt. Reuoluas totam Peripat. doctrinam circa humorem, quem mulieres in coitu cum voluptate emittunt, hæc diſces. Illum eſſe ſeroſum, proprium loci, ſuperfluitatem excrementitiam, ad conceptionem non eſſe neceſſarium; cum aliquando emittatur, aliquando non; In quo tamen loco generetur, & veriſimilem cauſam, ob quam à natura inſtitutus ſit, non diſces certe. Hoc autem contingit, quia Ar. teſtes in fœminis non cognouit, vt probaui euidentiſſimis rationibus cap. 5. & adhuc minus fabricam vaſorum ſeminalium illarum. Vnde non mirum, ſi dixerit humorem illum non eſſe ad conceptionem neceſſarium, & ad melius tantum in aliquibus eſſe. Poſteriores vero volentes in hæreſi ſui Magiſtri Ar. perſeuerare, & coacti ab anatome confiteri in mulieribus teſtes eſſe, in mille abſurda incurrunt, & mille figmenta pronuntiant.

Porrò ſtantibus iam recitatis ego ſic arguo. Illud in aliquibus non eſt ad melius, ſed eſt neceſſarium, quod in omnibus illis reperitur, ſed in omnibus fœminis viuiparis fœcundis, ſi diſſecentur, inuenitur in teſtibus, & vaſis ſeminalibus illarum humor albus, & craſſus. ergo talis humor non ad melius in illis, ſed neceſſarius eſt. Si eſt neceſſarius, vel neceſſarius eſt, quia ad conceptionem, vel quia ad voluptatem, quam fœminæ in coitu percipiunt, faciat, vel ad obliniendum collum matricis. Non neceſſarius eſt propter hunc vnum vltimum uſum, ut paulo ſupra oſtenſum eſt. non propter uoluptatem ſecundum Perip. ut ſupra cap. 2. & 5. patefici. ergo contra ipſos Peripat. propter conceptionem neceſſarius eſt. Similis erat argumentatio Ar. qua teſtes ad generationem neceſſarios non eſſe probare contendebat ſupra cap. 4. in fine.

Sextum, & septimum Medicorum argumentum Peripat. responsiones. Illarum euersiones. Cap. X.

SExto loco fœminæ vehementibus stimulis in Venerem incitantur, marum ferociunt, priapismo torquentur, pollutiones inuoluntarias patiuntur, vt mares. at hæ affectiones maribus contingunt ex semine. Nam facta excretione seminis, omne libidinis, & concubitus desiderium, & reliquæ affectiones desinunt. ergo hæc omnia ex semine fœminis contingere necesse est. Magna certè res. Videmus mares ex copia, & turgentia seminis stimulis in Venerem agitari, priapismum, pollutionem cum magna voluptate pati. Videmus altera ex parte in fœminis partes, quæ in maribus ad generationem seminis, & ad illius emissionem faciunt, reperiri. Videmus substantiam albam, crassam in his contineri partibus. Obseruamus fœminas tali excreta substantia libidinis, & coitus desiderio, priapismo, pollutionibus inuoluntarijs liberari, & verebimur affirmare fœminas à tali substantia alba, & crassa habere, vt ad Venerem incitentur? vt ferociant? polluantur? priapismo vexentur? voluptatem persentiant? substantiam illam albam, crassam semen eße?

Vidit Ar. secundo de gen. an. 4. argumentum de pollutione inuoluntaria. Sed dixit nil hoc concludere; & statuit pollutionem ex emissione alicuius humoris infœcundi posse fieri. Hoc modo ergo pollutio in fęminis contingit Secundum Ar. Idem potes dicere de alijs affectionibus dictis. At ego dico necessarium esse, vt ijdem specie effectus ab eadem specie causa procedant. Si ergo pollutio, & cæteræ affectiones dictæ in viris à semine proueniunt, cur non etiam in fęminis? Deinde inuoluntaria pollutio non fit in viris, nisi semen copiosum sit, & spiritibus turgidum, & quasi pruriens libidinosas moueat imagines, vt innuit Hipp. lib. de genit. & à philosophis admitti debet. Si ergo in fœminis inuoluntaria pollutio fit, opus est, vt humor, qui excernitur, easdem

conditiones habeat, aliter pollutionis non eßet in causa. ergo non potest eße infęcundus. quando quidem humor spiritibus turgidus infęcundus non est. Vis huius argumenti adhuc maior apparebit, cum studiosi infra cap. vltimo huius primæ partis nostræ disput. discent miram sympathiam, quæ inter semificam, & imaginatricem vim reperitur.

Tandem vna cum Galeno argumentum desumo ex similitudine, quam habent filij cum proprijs parentibus. quod quidem argumentum Medici nostri Oddus, Fernelius, Valesius, Maßaria, Laurentius pro Achille suo habent. Obseruamus ergo, quod natus aliquando matri, aliquando patri similis generatur. Tunc sic. Effectus communis non potest prouenire nisi ab aliqua causa communi. Similitudo natorum est communis effectus prouenìens à patre, & à matre. Si enim à patre tantummodo proueniret natus semper patri, si vero à matre, matri semper similis esset. ergo à causa, quæ vtrisque insit prouenire neceße est. Hæc communis causa, aut est semen, aut sanguis menstruus. Nam his duobus tantummodo intercedentibus natorum procreatio à patre, & à matre fit. Sanguis menstruus non est. Nam menstruus sanguis in solis fęminis apparet. ergo communis causa erit semen: ergo fęmina semen generat.

Vidit Auer. cap. vltimo primi de gen. an. uim huius argumenti, & pro eius solutione ingeniosam responsionem excogitauit. Nostri vero Medici (excepto vno Io. Baptista Syluatico viro certè eruditissimo) qui ex professo controuersiam hanc de semine inter Ar. & Gal. tractarunt, quique adductum argumentum pro Achille habent, eam dissimularunt, non sine equidem magno Medicorum dedecore. Nam Peripatetici, cum videant per sua principia soluta argumenta, quæ pro fortissimis à Medicis habentur, tumidi incedunt causam vicisse credentes, & Medicos spernunt. Sed certè antequam hoc facerent, optime animaduertere deberent, an bene, vel malè Medicorum argumenta soluta fuerint. Responsio Auer. meo iudicio consistit in hoc. effectum, qui prouenit à duobus secundum eandem speciem causæ, necessario in illis arguere causam communem illius effectus. effectum autem, qui prouenit à duobus non secundum eandem speciem

causæ,

causæ, non arguere in illis causam communem. Pater, & mater secundum Ar. & Auer. sunt causæ similitudinis, sed non secundum eandem speciem causæ. Nam pater efficit similitudinem, mater vero illam non efficit, non concurrit effectiue ad illam, sed materiam aptam ad recipiendam similitudinem præbet. ergo non valet in illis debere esse causam specie eandem. Enim vero quemadmodum Ar. vult generationem fieri ex mare, & femina, non vno, & eodem modo, sed mas apud ipsum est dator formæ, femina vero præstat materiam. ita, inquit Auer. vult Ar. similitudinem fieri ex illis, quod scilicet mas semper præstet formam similitudinariam, femina vero materiam, menstruum scilicet. Si enim iuxta Ar. inquit Auer. femina præstet materiam promptam formæ simili mari, adhibet ei mas illam formam. Si det materiam conuenientem formæ simili ipsi, tunc mas inducit in eam illam formam, & tunc natus producitur similis matri. Cum ergo pater, & mater non concurrant vno, & eodem modo ad dandam similitudinem, sed pater effectiue, mater non effectiue, sed tribuendo materiam accommodatam (menstruum scilicet) non sequitur debere in illis dari naturam aliquam, in qua ad similitudinem natis præstandam conueniant, & in ipsis sit eadem, & per consequens non sequitur à matre semen debere generari. Exemplificat Auer. Scamnum fiat à Socrate Carpentario, & à Platone Carpentario. quia ergo ambo concurrunt effectiue ad scamni compositionem, necessario Socrates, & Plato debent conuenire in aliqua natura, quæ in vtrisque scamni sit factiua, & hæc est ars carpentaria. Sit vero altera ex parte Socrates calceolarius, & Plato coriarius; concurrunt ambo ad calcei effectionem. Plato enim præstat corium pro materia calcei, Socrates uero formam. Quia ergo non ambo effectiue ad calcei compositionem concurrunt, non necessario in ipsis debet reperiri communis aliqua causa, quæ eadem in vtrisque sit calcei factiua. Vnde causa, à qua fit calceus in Socrate, est ars calceolaria, in Platone vero, coriaria. Hæc est ni fallor Auer. responsio, & certè ingeniosè pro solutione argumenti à Gal. ex similitudine natorum desumpti excogitata.

Sed ego contra hanc responsionem insurgam, & spero me eius

falsitatem esse patefacturum. Postquam ergo ostendi per cæteras supra positas rationes de necessitate fœminas semen generare, si demonstrauero semen illarum eadem specie vi efficiente conceptus conformationem eße præditum, qua præditum est virile, non ne clarum erit fœminas effectiue, & secundum eandem speciem causæ concurrere ad dandam natis similitudinem? & eße causam similitudinis, vt Socrates, & Plato ambo Carpentarij sunt causa Scamni? Ita proculdubio. Nam, vt de se clarum est, & infra cap. 16. enodabitur, similitudo natorum præcipuè consistit in partium corporis conformatione, & figuratione. Eò autem libentius descendo ad hoc demonstrandum. quia aliqui Peripat. victi rationibus supra allatis, concedunt fœminas semen gignere; & adhuc magis, quia vident Ar. ipsum, inter cætera loca, in quarto de gen. an. primo in fine fęminarum seminis mentionem facere. & primo de gen. an. 19. absolutè fęminas semine non priuare, sed solum negare à fęminis emitti tale, quale à maribus. Verumtamen vt in sua hæresi perseuerent, confugiunt tandem ad illam sacram anchoram, vt dicant cum Ar. semen illud nulla vi efficiente præditum, neque verum semen esse. Cum verum semen potestatem efficiendi in se contineat; hanc vero vni marium semini tribuunt. Simul ergo, & semel contra hos probemus semen fęminarum esse verum semen, habereque in se principium efficiens, & contra Auer. principium fętum efformans.



Fœmi-

Fœminæ semen principium in se agendi, & formandi habere probatur. Cap. XI.

ITa ergo fretus diuino auxilio exordior. Si semen est excoctum, & spiritibus turgens, est verum semen, & principium in se agendi, & formandi habet. Semen fęminarum est excoctum, & spiritibus turgens. ergo est verum semen, & principium in se agendi habet, atque formandi. Prima pars maioris propositionis probatur. nempe quòd si semen est excoctum, sit verum semen. Nam Ar. in primo de gen. an. 19. d. verum semen esse sanguinem vlteriori coctione coctum. Semen ergo, quod est excoctum, est verum semen. Altera vero pars, quòd si semen est spiritibus turgens, principium in se agendi, formandique habeat, probatur sic. Quia quæro de spiritibus, qui in semine tali continentur, quid agant in generatione fętus, forsan otiosi feriabuntur? Absurdum est hoc dicere. Forsan partes ex ipsis constituentur? Absurdissimum, & inimaginabile: ergo partes conformabunt. ergo efficiendi munere funguntur. ergo si semen est spiritibus plenum, principium in se agendi, & formandi habet.

Minor autem, quo ad eam partem, quòd semen fęminarum sit excoctum, probatur. Nam si crassum excernitur, est excoctum. Concoctio enim, quarto meteor. à tex. 19. fit incrassando. Sed fæminarum semen est crassum, vt patet ex historia de viduæ supra recitata cap. 9. & ex dissectione fęminarum grauidarum, & aliarum, quæ diù à coitu abstinuerunt, in quibus licet in vasis deferentibus copiosum, & crassissimum semen inspicere: ergo fęminarum semen est excoctum. Quòd semen crassum, & spissum sit concoctum, audi ipsum Ar. 4. de gen. an. 1. Et semen concoctum calidius est, quale id, quod spißum est. In secundo de gen. an. 4. At vero quod concoctum est, (& loquitur de semine) craßum, & corpulentius est. Quod semen igitur sit excoctum, ex crassitie colligitur. Quòd etiam fęminarum semen sit spiritibus plenum, primo pro-

probatur per albedinẽ, quæ in ſemine fęminarum cernitur. Nam ſecundo de gen. an. 2. ſemen album efficitur à multis ampullis, quę paruitate ſenſum effugiunt in vnum concurrentibus, vt in ſpuma euenit at ampullę, et bullę, non niſi permixta ſpirituoſa ſubſtantia cum viſcoſa humiditate fiunt. ergo cum fęminarum ſemen ſit album, relinquitur, vt ſpiritibus plenum, & turgens ſit. Sed quod ſit huiuſmodi certiſſima demonſtratione præterea oſtenditur. Nam habemus in mulieribus, vt in viris, plexus illos labyrintheos vaſorum præparantium, in quibus arteria venam, vena arteriam ingreditur, ad hoc, vt cum ſanguine, qui in ſemen debet tranſmutari multi ſpiritus commiſceantur, ſicut etiam ſupra cap. 5. dixi. ergo fęminarum ſemen ſpiritibus plenum, & turgens eſt, ſed tamen minus maſculeo. ergo principium in ſe agendi habet. Patet quinetiam per ea, quæ inſuper: cap. & cap. 8. ſtatui, Quòd ſi ſemen fęminarum non eſſet plenum ſpiritibus, voluptatem in illius emiſſione ipſis non afferret. Oſtenſum enim eſt, quod, quia ſpiritibus plenum eſt, titillationem in partibus genitalibus efficit, vnde poſtea voluptas accidit. Si ergo fęminarum ſemen eſt album, eſt craßum, eſt ſpiritibus plenum, concludendum eſt ipſum uerum ſemen eſſe, & principium in ſe agendi, & formandi habere.

Sed quòd ſit uerum ſemen probo inſuper per notas, quas Ar. uero ſemini attribuit. Vt prætercam ſecundum cap. ſecundi de gen. an. conditiones ueri ſeminis adducens Ar. tertio de hiſt. an. ultimo ſcribit. Exit profectò ſemen hoc genitale album, & craſſum, ſi integrum eſt &c. Quid ergo, ſi album, & craſsiſſimum in fęminis cernitur, ut patet ex hiſtoria de uidua, & dixi in principio 10. cap. ex diſſectionibus notum eſſe, Forſan non erit dicendum eſſe ſemen uerum?

Quòd ſi diceres ſemen illud eſſe craſſiſsimum, quia propter moram in illis uaſis, à calore craſsius redditum eſt. nam d. Ar. loco iam citato; quòd ſi ſemen uiri in vuluam proiectum excernatur, cum tamen aliquandiù in ea immoratum fuerit, craſsius prodit. Scias, quòd ſemen in uiduis, & alijs, quæ diù à coitu abſtinuerunt, conſpicitur non craßum, ſed craſsiſsimum, & ſic Gal. narrat de illa vidua; Vnde ſi ſua natura craßum non fuißet, craſsiſsimum

non

non euasisset. Et scias ulterius, quod si humor, qui in his reperitur, esset humiditas aquea, cruda, gutta, nunquam propter moram in vasis crassesceret. quæ enim per moram in aliqua parte crassescunt, à calore crassescunt; at aquea, cruda, calore soluuntur, vt docet Philosophus 4. meteor. à tex. 35. & secundo de gen. an. 2.

Afferuntur duæ rationes ex Ar. probantes semen fœminarum generantem, & formantem in se facultatem habere. Cap. XII.

Rationes, quas nunc adduxi, probant semen fœminarum efficiendi, formandique principium in se habere, sed non probant tale principium esse primum, principaleque, sed esse principium instrumentale. Afferamus alias probantes semen fœminarum principium primum in se habere. Pro hoc autem demonstrando, accipio primo. principium efficiens primum, atque conformans in semine, eße generantem facultatem, secundo de gen. an. 4. secundo generantem facultatem eandem esse cum Vegetante, ibidem, & secundo de an. tex. 42. Vnde sequitur, quòd si semen in se habet Vegetatiuam facultatem, habet generatiuam; si generatiuam, formatiuam, & principium primum efficiendi, & formandi. Tunc sic arguo. Ar. 4. de gen. an. primo scriptum reliquit, naturam simul & facultatem cuiuis dare, & instrumentum; adeo quod, neque facultas sine instrumento, neque instrumentum sine facultate sit. Si ergo generatricis facultatis instrumentum, quod est abundans spiritus in semine, in fęmineo reperitur, Cur & ipsam in eo reperiri non dicemus? & si ipsa in eo reperitur, cur non eius ministra formatrix? Si ergo formatrix facultas semini fęmineo inest, aut otiosa manebit, quando semina vtriusque sexus miscentur, quod est absurdissimum, aut formabit, & sic semen fęminarum principium primum in se efficiens, & formans habebit. Quando dixit Ar. naturam simul facultatem

cuiuis dare, & instrumentum, intellexit certè de instrumento, quod proprie dicitur organum, & est pars corporis peculiaris, dicata alicui operationi. Sed organum respectu spiritus, est instrumentum secundarium, non primarium. Vnde si illa propositio est vera de instrumento secundario, erit magis vera de primario, & immediato, quod est spiritus. Inueniri autem spiritum in semine fęminarum, patet per iam in superiori capite allatas rationes. Adducta quoque in eodem ratio est, quæ demonstrabat spiritum in semine contentum esse instrumentum formatricis facultatis. Quærebatur enim quid ageret spiritus in semine; an formaret, an ex eo partes formarentur. Sed hoc ipsum clarè quoque docet, vt omittam Auer. sexcenta loca, Ar. præcipuè secundo de
» gen. an. 3. Inest (inquit) in semine omnium, quod facit, vt fęcun-
» da sint semina, videlicet, quod calor vocatur. Idque non ignis,
» non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumoso-
» que corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, propor-
» tione respondens elemento stellarum. Hæc protulit Ar. de spiritu in semine masculeo contento; sed eadem est ratio de spiritu cuiuscunque seminis. Semper enim spiritus animæ instrumentum est.

Amplius Ar. secundo de gen. an. 4. circa medium concedit oua subuentanea animam Vegetalem habere. ergo ex suppositis facultas etiam generatrix erit in ouis subuentaneis, quæ absque maris congressu nascuntur. Verba Ar. sunt hæc. Quæstionem
» verò propositam (quæ fuerat, qua de causa fęmina absque mare
» ex se ipsa non generet) ratione non carere patet in quibus, quæ
» oua subuentanea pariunt, cum fœmina aliquatenus possit genera-
» re. quod & ipsum recipit quæstionem, quo nam modo oua eorum
» dicantur viuere. Nec enim ita vt oua fęcunda possunt. Sic enim
» actu animatum ex ijs efficeretur. neque ita se habent ista, vt li-
» gnum, aut lapis, quippe quæ corruptione aliqua pereant, vt quæ
» vitam quodammodo ante participarent. Constat igitur hęc ali-
» quam habere potentia animam. Sed quam? Istam vltimam pror-
» sus habeant necesse est, quæ Vegetabilis est. hæc enim æquè in
» omnibus animalibus, & plantis inest. Si ergo semina fęminarum ouipararum, quæ nil aliud sunt, quàm oua earum, habent in

*e vim generantem, non ne etiam generans facultas in semine vi-
uipararum erit?*

*Sed statim hic se se opponet, suspicor, aliquis, & dicet. quam-
uis Ar. concedat in statim allatis verbis, Vegetatiuam ouis sub-
uentaneis inesse, non tamen sequi generatiuam quoque in illis con-
tineri. Nam ex tribus facultatibus, ex quibus pars animæ Ve-
getatiua constat, nutritiua scilicet, auctiua, & generatiua, gene-
ratiuam esse nutritiua, & auctiua posteriorem: vnde ipsa præ-
supponit reliquas, reliquæ vero absque illa stare possunt. Et re
vera ita obseruari. Nam sunt aliquæ plantæ, quæ nutriuntur,
& augentur, & nullum producunt semen. Sic sunt quædam ani-
malia, quæ nutriuntur, & augentur, & tamen non sunt apta ad
generationem; sicuti sunt animalia nata ex putri, & muli. Et ad
secundum à nobis factum ex Ar. suppositum respondebunt, Ar.
dicere Vegetatiuam, & generatiuam eandem esse facultatem,
quia generatiua spectat ad partem animę Vegetatiuam. Sed hæc
singula confutemus. vis videre cum Ar. concessit animam Vege-
tatiuam ouis subuentaneis inesse, generatiuam quoque illa in se
continere supposuisse? hoc tibi clarè manifestabo. Postquam
Ar. per nuper allata verba statuit, animam Vegetatiuam ouis
subuentaneis inesse, mouet aliud quæsitum, in quo quærit, cum Ve-
getabilem animam in se contineant, cur partes, & animal non ef-
ficiant? Respondet. quia sensualem animam habere ea opor-
tet. non enim animalium partes ita sunt, vt plantarum. quam-
obrem maris societate opus est. mas enim à fœmina separatus in
ijs est. Et quidem sic vsu euenit. subuentanea enim illa fœcundæ
redduntur, si mas coiuit tempore quodam. & inferius declarans
se magis, scribit. At vero in quibus sexus maris, & fœminæ di-
stinctus habetur, fieri non potest, vt fœmina ipsa per se generet
perfectè. Ita enim mas frustra esset. Quamobrem in ijs mas
semper perficit generationem. hic enim sensualem dat animam,
aut per se, aut per genituram. Dico modo ego ex his Ar. ver-
bis. ad quodnam propositum esset istud Ar. quæsitum de ouis sub-
uentaneis, scilicet cur partes, & animal non efficiant, si ipse non
credidisset, ea facultatem generatiuam in se habere? cui funda-
mento quæsitum illud inniteretur? Deinde, si ipse credidisset Ve-*

getatiuam ouis subuentaneis, non tamen generatiuam, inesse, facilis ad quæsitum erat responsio. Nam poterat dicere, oua illa partes, & animal non efficere; quia generatiuam, cuius munus est generare, & partes formare, non habebant; at hoc non dixit. Sed dixit, quia ad animal efficiendum, & partes animalis, sensualis anima requiritur; nam partes animalis, & animal ipsum, per sensualem in esse (vt ita dicam) animalis constituitur; Signum ergo est, cum concesserat supra, illa animam Vegetatiuam habere, concessisse etiam generatiuam continere.

Concedam generatiuam posteriorem facultatem esse reliquis duabus; sed tamen in animalibus non natis ex putri, neque oblæsis illæ duæ sine ipsa stare non possunt. Vnde cum fœminæ ouiparæ possideant vegetatiuam illis tribus facultatibus præditam, cur illas tres ouis suis non tribuent? Cur vegetatiuam ipsis tribuent absque generatiua? Ad id vero, quod dictum est, Ar. dicere generatiuam esse eandem cum Vegetatiua, quia scilicet ad partem animæ Vegetatiuam spectat. Volo quòd studiosi sciant doctissimos, & eminentissimos viros in doctrina Ar. sustinere, facultates alicuius animæ non distingui realiter à suo fundamento, & subiecto, scilicet à parte illa animæ, cuius sunt facultates: vt nutritiuam, & auctiuam non distingui realiter à Vegetatiua, neque visiuam, & auditiuam à sensitiua, sed tantum ratione; adeo quod, in relatione ad diuersas operationes, eadem pars animæ nomen diuersarum facultatum sortitur. De qua re non est hic locus disputandi.

Denuo dicet aliquis. Ar. non concedere oua subuentanea habere Vegetalem animam. Nam secundo de gen. an. cap. 3. di[cit] Ar. illa principio carere, quapropter animata non esse. Sed scia[t] is, qui hoc modo instaret, Io. Gram. Suessanum re vera existimare oua subuentanea per auctoritatem Ar. in 4. cap. eiusdem libr[i] adductam, animam Vegetalem habere. Imò Io. Gram. probat ita esse. quia dum intus in corpore auium sunt, augentur, auctio autem est operatio Veget: animæ. Quapropter cum Suessano respondeo auctoritati tertij cap. Ar. ibi intelligere oua subuentanea non esse animata anima sensuali. Cum hoc tamen stat, quò[d] sint animata anima vegetali.

Sed

Sed iterum posset aliquis dicere. quòd quando Ar. dicit oua subuentanea animam vegetalem in se habere, intelligit de ouis, quæ intus in corpore auium sunt, non de ijs, quæ sunt extra. Quid vellet sic dicens concludere? Ego sic concludam. Ergo per Ar. semen fęminarum, dum in earum corpore erit, in se habebit animam vegetalem. at illud semen intus etiam in illarum corpore est, quod ex vasis deferentibus in cauitatem vteri effluxum est. & sic habeo intentum. Nam semen foras à fæminis non emittitur, quando ex ipso fit conceptus. Deinde, vt multa omittam, rectè animaduertant verba Ar. & videbunt ipsum loqui de ouis ab auibus separatis. Cum enim Ar. conclusisset oua subuentanea vegetalem habere, subiungit. Sed cur partes, & animal non efficiunt? Quomodo hæc verba proferre potest de ouis subuentaneis adhuc in auium corpore existentibus? Quomodo enim, dum sunt intus in corpore, imaginari possumus, ipsa partes, & animal efficere posse?

Anima Vegetalis ergo in ouis subuentaneis est secundum Ar. & per consequens in semine viuipararum. Vnde etiam in illo facultas generatrix, & formatrix inest, & per consequens eadem specie vis efficiens similitudinem quæ in semine marium; quod est illud, quod contra Auer. probandum suscepi.

Dubitatur aduersus duas allatas rationes, & dubitatio secundum Ar. doctrinam remouetur cum nonnullis alijs instantijs. Cap. XIII.

Sed operæpretium est, dubitationem pulchram, & perarduam, quam in superiori cap. tetigimus quidem, sed cursim: & quæ omnes Medicos neotericos hucusque transuersos egit, in manus resumere, & exactius enodare. Demonstraui hactenus semen fęminarum in se habere virtutem formatricem, & illius instrumentum, nempe spiritum. Addo modò ex communi tam Peripat. quàm Medicorum sententia, fęminas materiam quoque

ad generationem tribuere. Cur igitur fęmina de se absque maris coitu non generat? reperitur vis generans in ipsa, instrumentum huius facultatis, materia, locus idoneus, quo alio ad generationem indiget? Hæc instantia Medicos valde torquet, & quamuis in super: cap. quædam attulimus ex Ar. per quæ facile ipsum ab ea euadere posse alicui videatur, multa tamen contra ea dubitanda relinquuntur. Formemus ergo sic contra Ar. instantiam, & dubitationem. Oua subuentanea habent facultatem in se formantem per te, ò Ar. & materiam, ex qua partes formari possunt. Cur ergo ex eis absque maris semine pulli non generantur? Respondet Ar. vt vidimus in super: cap. Quòd illud, quod generatur est animal, & est animal per sensualem animam, & quòd efficiens talis animæ est mas, non fęmina. quapropter necessario ad generationem requiritur mas, qui per genituram talem det animam. neque enim fieri potest, vt vel facies, vel manus, vel caro, vel aliqua pars sit, nisi sensualis anima insit, quòd si mas est efficiens talis animæ, impossibile est, vt fœmina ex se ipsa animal generet. Ex qua responsione licet tria de mente Ar. colligere. Primum est marem suo semini vegetantem facultatem, & sensitiuam tribuere. fœminam suo excremento non posse, nisi vegetatiuam impertiri. secundum est. quòd ad hoc, vt semen perfecte efficientis locum habere dicatur, fœtui sensualem animam debet tribuere. Tertium est, quod si excrementum fœminarum sensualem animam in se contineret, fœmina de se generare poßet absque mare. Cum ergo illam non contineat, non mirum si de se generare non possit. Hęc est Ar. à proposita dubitatione, & instantia euasio. Sed non desunt dubia. Nam remanet statim requirenda ab Ar. causa, propter quam fęmina non valeat suo semini vim sensualem tribuere, sed vegetatiuam tantum: mas vero ambas suo semini impertiatur? Ego nullam aliam causam (valeat ipsa quantum valere potest) ex eo colligere poßum, & scio, nisi hanc. Quòd scilicet secundum Ar. mas, quà mas, est efficiens; fęmina, quà fęmina, patiens. Cum ergo efficientis sit formam tribuere, patientis vero materiam, formaque in animalibus sensualis sit anima; si fęmina suo semini sensualem animam tribueret, vel non haberet locum patientis, sed agentis, vel locum patientis, &

& agentis: & sic poßet de se generare.

Sed adhuc dubitabit aliquis. si semen maris continet & Vegetalem animam in se, & sentientem. ergo est animal paruum. Nam animal est animal per sensum. Deinde anima est actus corporis organici. at semen non est organicum; ergo non animatum. Destituor hic à Peripateticis, qui paginas quamplures implent disputando vtrum intelligentia mouens cęlum, sit forma informans, vel assistens; & vt antiquiores sileam Achillinum, Iandunnum, Zimaram, videant studiosi quot scripta sint de intelligentia mouente cęlum à Neotericis Piccolomineo, & Zabarella, & tamen cœlum, & multo magis intelligentiæ à sensibus valde remotæ substantiæ sunt. De iis vero, quæ ad nostram generationem faciunt, & sensibus obuia sunt, nil pulchrum quærunt, nullam speculationem mouent. Respondeo ego pro Ar. & pro rei veritate. quòd habere animam contingit duobus modis potentia, & actu, neque aliquid potest dici vel planta, vel animal, nisi actu animam possideat. & similiter anima non est actus corporis organici, nisi actu in illo contineatur. modo in semine maris inest anima vegetalis, & sensualis potentia, non actu. Quare non sequitur, quòd illud, aut sit planta parua, aut animal paruum, vel organicum eße debeat. Quando autem dicitur in definitione animæ, quòd est actus corporis organici, definitur anima, quæ actu est anima, & in suo esse perfecto. nam dantur definitiones de rebus in suo eße perfecto. Sed aduertendum est. quòd quando dicitur, quòd anima est potentia in semine, non actu, non est secundum Ar. credendum, quod re vera anima in ipso non sit. nam quòd anima insit semini potentia, non tollit, quod animæ eßentia in illo contineatur. Sed bene tollit, quòd secundum eße perfectum in illo sit. adest enim veluti inchoatio animę, sed non complementum. Adest autem hoc, quando operationes, quæ sunt propriæ illius animæ possunt per propria organa exerceri. & tunc animæ dicitur actu inesse. Hinc est quòd Ar. loco citato dicebat. animal viuere prius vita plante, deinde animalis, neque simul fieri animal, & hominem, vel animal, & equum. Nam tunc dicitur factus equus, quando adest finis, complementum. Quare tunc dicitur adesse actu anima, quando ipsius complementum adest.

Si suas operationes per propria organa non obit; aut ne quidem obit, dicitur potentia, non actu adesse. existit enim; sed modo imperfecto. Sed hac de re iterum parte tertia cap. 2. Verum inde manifeste cognoscitur animam vegetalem secundum suam essentiam in semine contineri. quia si semen generat plantam, vel animal, & generatio est actio vegetalis animæ, necessario ipsam semini inesse dicendum est. in quo est actio, & virtus sit oportet, inquit Valesius 2. contr. 9. De anima vero sensuali ita statuo. nullum dat quod non habet, semen masculeum dat animam sensitiuam per Ar. vt supra ostendimus, ergo illius essentiam in illo contineri necesse est. Judico autem ego secundum doctrinam Ar. animam vegetalem in semine esse in potentia magis propinqua, sensualem vero in remotiori. Intellectus verò speculatiuus extrinsecus aduenit, de quo nil in tota hac mea disputatione agere intendo.

Soluitur dubitatio proposita in super: cap. secundum Gal. doctrinam. & remouentur instantiæ, quæ contra solutionem possunt afferri. & respondetur quibusdam quæsitis. Cap. XIV.

HActenus personam Peripatetici indui, & defendi Ar. vt non cogatur fateri, postquam secundum ipsum, fęmineum semen in se vim formatricem habet, fęminas de se absque mare generare. Verum durum mihi valde videtur, quod cùm fęmina habeat in se animam vegetalem, & sensualem, vt mas, habeat easdem, ac mas, partes, per quas illas vtrasque semini tribuere potest, vt apparebit infra cap. 17. ipsa tamen suo semini illas non tribuat; & pręcipuè, cum obseruemus natos multoties, quo ad actiones, quæ sunt propriæ sensitiuę animæ, matribus similes esse. Præterea vero, quia, concesso fęminę semen & vegetalem, & sentientem in se habere animam, neque solum patientis, sed etiam agentis rationem habere, possumus rectissimè saluare, fęminam

de

de se non posse absque mare generare. Imò vt infra cap. 16. & cap. vltimo videbunt studiosi, si volumus verè de multis, quæ circa generationem fetus contingunt, rationem reddere, cogimur affirmare, semen femineum non solum passiua, sed etiam actiua facultate præditum esse. Ego igitur inhærendo ijs, quæ iam determinata sunt: fateor semen feminarum habere facultatem formatricem, & illius instrumentum. Statuo insuper contra Ar. easdem omnes facultates, quas masculeum, in se continere, atque feminam, quà femina est, non solum patiens, sed agens esse. Deinde dico, non ob id sequi, quòd feminæ semen eius sit virtutis, vt solum sufficiat ad conceptum, fæminaque absque mare possit generare. Nam licet in semine feminę sit formatrix facultas, ea tamen est minus principalis, & est imperfectior: quare præsupponit facultatem magis principalem, & est subordinata facultati perfectiori, vt est facultas maris semini inexistens. Ad obeundum vero aliquod opus, requiritur de necessitate agens magis principale. Et hæc fuit quadam ex parte responsio subtilissimi Scoti 3. sen. & in quolib. Sed ego illud etiam addo. quòd si facultas formatrix debet operari, oportet vt sufficiens habeat instrumentum, quo in suis operibus vtatur. Tale autem instrumentum est abundans calor in spiritu seminis residens. Quoniam vero seminis feminæ calor non est tantus, vt sit sufficiens per se ad conceptum formandum, ideo formatrix seminis feminæ inexistens, non potest de se conceptum formare. Necessarium ergo fuit, vt semen maris accederet, quod quidem cum calidius semine feminæ sit, tribueret eum calorem, qui ad opus conceptionis requiritur. Residet ergo in semine feminæ vis formatrix, sed ipsa perfectius viget in semine maris, vt etiam calor, quàm in semine feminæ. Et semen maris concurrit ad conceptum formandum magis principaliter, semen feminæ minus. Vnde sequitur etiam, vt, quamuis mas, & feminæ sint vnà agens, & patiens, magis tamen mas habeat locum agentis, magis verò locum patientis, femina. semen enim maris est perficiens, & complens semen feminæ. Vis videre, quòd requiritur mas ad hoc, vt afferat vim perficientem, & complentem, non vt nouam virtutem tribuat, veluti testatur Ar. tribuere vim sensitiuam, quę non potest. tribui à femina? Ex hoc conijcias.

quia

quia in plantis est sexus masculeus coniunctus fęmineo, & tamen plantæ non habent sensum. Ad quid ergo natura sexum masculeum fœmineo in plantis coniunxit? vt tribuat virtutem efficientem? Minimè. ostendi enim exemplo ouiparorum fęminam, quà fęmina est, illam tribuere. ergo vt det calorem, & virtutem sufficientem, & complentem. Sed requiret statim quis. Cur semen fęminæ est frigidius, & non sufficiens ad opus generationis? Respondeo ex Galeno secundo de sem. 4. & 14. de vsu part. 6. Quòd cum duo necessariò concurrant ad perfectam fętus generationem. quorum alterum est semen, quod debet eße multo calore abundans (vnde dicebat Gal. primo de tuend. 2. neceßarium fuisse, vt natura plurimum ignis primordijs nostrę generationis immisceret, ad hoc, vt cum dicta primordia humida eßent, humida non manerent, & sic ex illis animalium partes ad suas actiones exercendas aptæ formarentur; alterum vero est excrementius humor, qui copiosus eße debet, vt potè qui fœtum per spatium multorum mensium nutrire debet; fieri non potest vt hæc ambo, vel in sola fœmina, vel in solo mare reperiantur. Nam multo calore abundans semen, non nisi à multa caliditate, excrementius autem copiosus humor, non nisi à frigiditate, & humiditate generari potest. Cum ergo fęmina excrementitio humore abundet, neceßariò frigidior & humidior est; at cum talis sit, in exactè conficiendo semine deficit, & non potest semen ita calidum, vt ad conceptum formandum requiritur, gignere. Non sequitur vero, vt putauit Ar. quòd semen non gignat, & quòd non sit verum semen, & satis calore abundans. Aduertendum autem est. quod quamuis mas semen semper calidius semine fęminæ generet: Verumtamen si in se consideretur, semen maris aliquando est magis calidum, aliquando minus. Item licet semen fęminæ minus, quàm maris, calidum sit; attamen in se consideratum, aliquando est magis calidum, aliquando minus.

Sed dicunt aliqui (vt licet videre apud Valesium in primo controu. 9.) non ne datur aliqua fęmina, quæ calidior est aliquo mare apto ad generationem? Ego difficulter hoc credo de fęmina naturaliter disposita. Hoc desumo ex doctrina Ar. & Gal. Legus Ar. 4. de gen. an. primo videbis ibi ipsum disputare contra

tra

tra quosdam, qui asserebant argumento copiæ sanguinis, qua menstrua fiunt, fœminas esse calidiores viris, inter quos erat Parmenides, vt patet ex secundo de part. an. 2. Deinde vero obseruabis, quòd omnia illa, quæ in eo, & sequenti cap. adducit tanquam concurrentia ad generationem fœminæ, frigiditatem, & humiditatem præseferunt; quæ vero tanquam concurrentia ad generationem maris caliditatem, & siccitatem. Passim in lib. de gen. an. hoc obseruabis. Cum principium non superat, nec concoquere potest propter caloris inopiam, vel frigiditatem, aut copiam materiæ, procreari fœminam, cum materiam superat, & concoquit, marem fieri, absque vlla vnquam horum suorum vniuersalium sermonum exceptione, & fœminam aliquam iuxta Ar. loquendo de naturaliter dispositis, putabis poße reperiri mare calidiorem? Absque vlla exceptione ex materia frigidiori, ex minus concocta, calore imbecillo pro efficiente concurrente, coadiuuantibus causis extrinsecis frigidis, fœmina; ex materia calidiori, & exactè cocta, pro efficiente concurrente calore vegeto, coadiuuantibus causis extrinsecis calidis, mas secundum Ar. gignitur, & fœmina erit vlla secundum ipsum calidior mare? Adeamus Gal. ipse 14. de vs. par. 6. & 2. de sem. 8. mares omnes fęminis calidiores constituit absque vlla exceptione de indiuiduis. non hoc autem egisset, non omisisset exceptionem, si iudicasset aliquam fœminam mare aliquo calidiorem esse. nam hoc pacto decepisset, non docuißet. bene verum est, quòd loquebatur de fœminis, & maribus non male affectis, sed dispositis secundum naturam, vt etiam Ar.

Sed dicunt biliosa mulier est pituitoso viro calidior. at ego, quid quid dicat Valesius, & vnà Præceptor meus Alexander Massaria ipsum insequens, non ita facile hoc ipsis concedo. nam, non ne mulier biliosa habet menstruas purgationes, quas pituitosus nullus vir habet? loquor hic de biliosa, & pituitoso ad generationem aptis, de biliosa, & pituitoso intra latitudinem sanitatis positis. quis enim dubitat pituitosum virum, si esset adeo pituitosus, vt semen ad generationem aptum minimè produceret, sed infęcundum, biliosa muliere eße frigidiorem? Consulamus hic quoque Ar. & Gal. Ar. loco citato, & primo de gen. an. 19. & 2. cap. 4. docet menstruas purgationes prodire ob inopiam caloris, reliquias

alimenti discutere non valentis. Hoc postea confirmauit etiam Gal. 14. de vs. part. 6. quomodo ergo si in pituitoso viro tantus est calor, qui reliquias alimenti discutit, in muliere vero biliosa non est tantus, vt hoc efficere possit, pituitoso viro mulier biliosa calidior erit? Si dicas posse dari fœminam adeo biliosam, & calidam, vt careat menstruis purgationibus? Qua caliditate hæc mulier pituitoso viro erit calidior? natiua? an aliena, & præter naturam? Ergo hæc biliosa mulier calidius semen masculeo generabit, hoc est biliosum, acre, mordax. At ego loquebar de caliditate seminis natiua, quando constitui semen maris calidius esse semine fœminæ, de caliditate, quæ ad conceptum instituendum sit apta, non de excedente, & præter naturam. Omnino instituit natura, vt fœmina haberet menstruas purgationes. his autem gaudens deficit in conficiendo semine, neque tanto calore abundans illud generat, vt de se sufficiat ad conceptum instituendum. Si eueniat præter intentionem naturæ, vt reperiatur fęmina adeo calida, vt illis præ caliditate careat, habebit semen omnino ineptum ad conceptum. licet enim illud semen fuerit valde calidum, erit calidum caliditate corruptiua, & destructiua conceptus, non institutiua illius. Caliditas fęminæ illius non erit similis caliditati, qua natura mares calidos instituit, erit caliditas morbosa. ergo semen quoque illius morbosum. ergo non aptum conceptioni. Nunquam insuper concedam mulierem biliosam habere testes, & reliquas partes ad seminis productionem concurrentes, calidiores caliditate naturali testibus, & partibus ad generationem seminis facientibus maris pituitosi. modo pituitosus ad procreationem sit aptus, & inter latitudinem sanitatis positus. Vis videre certissimè organa fęminarum ad seminis generationem concurrentia esse necessario frigidiora organis marium, & semen fęminarum semine marium frigidius neceßariò esse? Considera cum doctissimo Vesalio 5. lib. suæ anat. cap. 15. testes fęminarum primo minores esse testibus marium; at monstraui cap. 7. minora frigidiora quoque esse: deinde dimidiam tantam partem vasorum seminalium, vt supra notaui eodem cap. ad illos tendere. nam reliqua pars in supernam partem fundi vteri spargitur. Cum ergo instituerit natura, vt dimidium tantum spiritus illius, qui ad testes marium

insuit, testes fęminarum sibi assiscant, quid mirum illos frigidiores esse testibus marium, proinde imperfectius, minimeque per se ipsum sufficiens ad conceptionem semen generare? Dubitabis ne amplius hac in re, in qua anatomicam habes demonstrationem? Consentientem quoque habemus in ipsa vniuersam Peripateticorum scholam, vt potest supra ex cap. 4. & 5. cuilibet patere.

At denuo instant, quia inueniuntur (dicunt) mulieres vteri intemperie calida laborantes. Sed ego dico. Fac vt etiam laborent testium calida intemperie, quid tum? acre, mordax, & vrens semen generabunt quidem, sed non spiritu magis affluens, atque magis abundans eo calore, qui requiritur ad conceptum. Ego autem contendo semen maris calidius esse semine fęminæ, calore bono, mediocri, non immodico, minimeque apto ad opus generationis. Videtur ne tibi, quòd semen, quod à testibus intemperie calida laborantibus gignitur, possit vllo modo facere ad conceptum? Vterus similiter intemperie calida laborans concipiet ne? an potius conceptum peruret? Vide quid scribat Hipp. de tali vtero 5. aph. 62. Audi quæ scribat Ar. 4. de gen. an. 2. ad propositum non admodum nostro dissimile. Omnia, quæ vel natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua sunt; calor autem, si valde superat, exsiccat humorem. Si multum deficit, non concernit, sed medij rationem ad rem condendam seruari requiritur; alioquin vt in ijs, quæ igne coquuntur, plus ignis deurit, minus nón coquit; ac euenit vtrinque, ne quod agitur, perficiatur. Sic in coitu, maris, & fęminæ moderatione opus est.

Quidam meus amicus, quo cum hæc mea communicabam, duas attulit mihi instantias contra anatomicam demonstrationem, quæ ostendi testes marium calidiores esse testibus fęminarum, proinde semen etiam calidius, & perfectius generare. Dicit ergo. quòd quantum valent in perfectis animalibus, de quibus nostra disputatio est instituta, spiritus multi per integram arteriam ad testes delati, testes ipsos marium calidos reddere, & vnà semen in ipsis genitum, tantum potest minor portio spiritus per minorem arteriam ad testes fęminarum delata. Nam testes fęminarum sunt interni, marium vero externi. vnde cum hi iniurijs ambientis sint expositi, non est mirum, si maiorem quantitatem spiritus requi-

rant, quàm fœminarum; qui cnm externis iniurijs expositi non sint, & calore internarum partium illis circumstantium foueantur, minore quantitate spiritus indigent.

Deinde vero dicebat; maiorem quantitatem spirituum ad testes marium demissorum præstare quidem, vt semen illorum extensiuè, & quantitatiue loquendo, sit calidius, sed non intensiuè. at ego intendebam in hoc sermone à me proposito probare illud calidius esse intensiuè.

Puto hæc facili negotio à nobis diluentur. Nam dicimus nos, quòd causa finalis est omnium principalissima, & nobilissima, & in operibus naturæ vincit omnes alias causas. vnde cum videamus naturam in maribus testes collocasse ad extra, in fęminis intus, possumus ex hoc arguere meritò, vt etiam supra cap. 7. fecimus, caliditatem testium, & seminis marium intensiuam, & frigiditatem testium, & seminis fęminarum. Decebat enim naturam iniurijs externis exponere eos testes, qui magis illis resistere poterant; Cum ergo cxternis iniurijs exposuerit testes marium, non fęminarum, arguendum fœminarum testes ob suam frigiditatem occultandos fuiße, & per consequens minus calidos intensiuè esse, minusque calidum intensiue semen generare. actualis enim frigiditas non potest stare, nisi cum minus intensiua caliditate, vt notum est apud philosophos. & hoc omnes Anatomici arguunt. atque hoc pacto ambas mihi ab amico propositas instantias sublatas esse existimo.

Sed aliam mihi solutionem subministrauit Ioannes Hieronymus Bronzerius Abbatiensis doctissimus philosophus, & Medicus, mihique coniunctissimus, vt propter mutuum singularem inter nos amorem nominatum ipsum velim. Solutio est hæc. Obseruamus testes marium multis tunicis, siue inuolucris tegi. de quibus varij inter se sunt Anatomici. Ego vero iuxta meum morem sequar in his recensendis doctissimum Laurentium. Hæ ergo quattuor sunt; duæ communes, duæ propriæ. Inter duas communes numeratur scrotum, et post illud altera tunica, à membrana carnosa ortum ducens. inter proprias vna exterior appellatur elitroidis; altera immediate testes integens, & substantia valde crassa à doctissimo Laurentio appellatur membrana ner-

uosa,

uosa, à diligentissimo Columbo vero, epididimon. Obseruamus altera ex parte testes fœminarum præter membranam à peritonæo deuenientem, inuestiri ab vnica, & illa quidem tenui membrana, quæ respondet membranæ neruosæ testium marium. Ex his ergo possumus dicere; quòd quamuis natura iniurijs externis testes marium exposuerit; ita tamen illos cooperuit, vt possent esse ab illis tuti, atque pauxillum caloris ad ipsos transmissi, impedientibus tot membranis, sed præcipuè membrana neruosa immediate illos tegente, posset transpirare. Adeò quod possumus meritò dicere, quòd tutamen, quod natura illis parauit, vices subeat interioris situs, quem testibus fœminarum assignauit. Sed cum non hoc contenta, instituerit etiam, vt ferè duplo maior quantitas spirituum ad testes marium, quam ad testes fœminarum influat, non ne dicendum est testes marium calidiores esse testibus fęminarum, ad quos quamuis in interna sede collocatos, multo minor quantitas spiritus influit, & ob tenuitatem membranæ illos inuestientis conclusus non seruatur, sed facillimè ab illis continuè transpirat?

Sed dicitur in secunda instantia, testes, vna cum semine marium posse esse calidiores, testibus, & semine fęminarum, ex ratione allata, extensiuè, non intensiuè.

At ego dico. quòd sensu ipso nobis constat semen fœminarum semine marium tenuius esse. at tenuius, frigidius quoque, vt supra patet cap. 11. si frigidius, minus certè intensiuè calidum; nam vbi frigiditas adest, ibi caliditas necessariò remissior est. si minus intensiue calidum. ergo organa illud generantia minus intensiue calida. hoc efficitur à testibus, & spiritibus in ipsis contentis. ergo testes fœminarum, & spiritus in illis contenti minus intensiue calidi, quam testes, & spiritus marium. Patet consequentia. nam si & testes, & spiritus fęminarum magis intensiue calidi essent, intensiorem calorem semini tribuerent. Omne enim agens assimilat sibi passum.

Sed quis quæso dubitare potest, si humor à duabus partibus eiusdem substantiæ, & naturæ concoquatur, & ad vnam illarum concurrat multo maior quantitas spirituum, ad aliam multo minor, quòd concoquetur perfectius in ea, ad quam multo maior

quan-

quantitas spirituum concurrit? at testes marium, & feminarum sunt eiusdem substantiæ, & naturæ, & solum accidentaliter differunt, vt ostendi supra cap. 6. & 7. Quis ergo dubitabit humorem, qui in testibus marium concoquitur, perfectius in illis concoqui, quam in testibus fœminarum? etsi hoc est, quis negabit illum intensiue calidiorem esse altero, qui minus, & imperfectius concoctus est? Minus coctum est crudius. à frigiditate cruditas est. ergo minus coctum habebit plus de frigiditate. at dictum iam est, quòd vbi plus est de frigiditate, ibi caliditas est intensiue minor. Cum ergo maior quantitas spirituum ad generationem seminis marium concurrat, vt ex consideratione Vesalij manifestum est, quis dubitabit à primo ad vltimum illud intensiue calidius esse semine fœminarum? Ex multitudine ergo spirituum licet arguere intensiuam caliditatem seminis marium, vt Magnus re vera Vesalius fecit.

His puto ratum remanere nullam feminam naturaliter dispositam posse mare naturaliter disposito calidiorem esse, aut æquè calidam, proinde nullam semen ita calidum generare, vt mas generat, proindeque nullum posse de se concipere.

Verum cum per hactenus determinata visa sit causa, cur, cum fœmina semen generet efficiente facultate præditum, opus etiam fuerit semine maris. Scire aliquis desiderabit. Cur cum mas semen generet, natura semen quoque in fœmina conseruarit, & præter semen maris, opus etiam fuerit semine feminæ. Cur enim non potest ex solo semine maris in vterum eiaculato conceptus fieri, absque eo, quòd femina semen, & ipsa ad conceptum conferat, quæ fuit opinio Io. Costæi quinto lib. physiol. disquisit? Respondeo ex Gal. 2. de sem. 4. ad fetus generationem opus fuisse semine fœminæ præter maris semen, ob diuersas causas. Nam primo nisi femina semen habuisset, ne appetere quidem coitum potuisset. Obseruare enim licet præsertim in suibus feminis apud omnes nationes, illas post castrationem, se amplius apris non subijcere, & omnis venerei congressus obliuisci. Hoc vero non ob aliud accidit, nisi quia semen amplius castratæ non generant, quod pruriens libidinem concitat, & ad coitum animalia stimulat, at nisi ad coitum incitarentur, minimè generarent, quare primo hoc nomine ad generatio-

nerationem semen feminarum requiritur. Secundo vero: quia nisi femina in coitu voluptatem perciperet, illum non appeteret, vt supra ostensum est cap. 8. 10. & 11. voluptas ipsi euenit ex semine, ergo opus præter maris semen, semine quoque fœminæ fuit. Sed propter quid maius necessarium ipsum fuit. Considera enim quòd semen constat ex duabus partibus, vna crassiori, & terrena; altera spirituosa, & aerea. Ex spirituosa partes non possunt constitui, verum constituuntur ex sola crassa, vt probabimus in secunda parte huius disput. cap. 3. & 4. Considera vlterius. quòd in semine maris pars spirituosa est multa; adeò quòd partes, quæ gignuntur ex ipso, ex dimidio tantum illius generari cum veritate dici potest. Cum vero partes, quæ debent constitui ex ipso, sint multæ (nam præter partes albas, ex quibus fœtus integratur, adsunt etiam tres membranæ, quæ fetum inuoluunt, & ipsæ quoque partes sunt albæ,) necessarium fuit, vt semen quoque, ex quo debebant tot partes formari, esset copiosum: at non ita copiosum semen à solo mare poterat conferri. opus ergo fuit, præter semen maris, semine quoque feminæ. Et hoc est, credo, illud, quod significare nobis voluit Gal. quando lib. 1. de sem. cap. 7. & 2. cap. primo, & 4. & lib. 14. de vsu part. cap. 11. docuit. semen feminę cum frigidius humidiusque sit, esse quasi quoddam alimentum semini maris crassiori, ac calidiori accommodatum. Non enim semen verè nutritur. esset enim actu animatum, non potentia, vt cap. 13. conclusum est. Sed quoniam, quæ nutriuntur, per appositionem nutrimenti augentur; sic, quoniam per admixtionem seminis feminæ cum semine maris, fit aggregatum quoddam maius, & accommodatum ad partes fetus progignendas, dictum est à Gal. semen maris quasi nutriri semine feminæ. Quod si hoc pacto calumniator Argenterius, omnibus infensus, Gal. dicta intellexisset, non illum irrisisset, quòd semen femineum masculeo quasi alimentum, non absolute alimentum, esse, docuisset. Doctissimus Laurentius lib. 2. op. anat. q. 17. scribit. Dum vero ali muliebri semine virile semen affirmat Gal. non de perfecta nutritione intelligit, quæ fit assimilatione, sed nutriri vult, foueri, conseruari. quia enim calidius est semen maris, crassiusque femineo, tenuiori, frigidiorique diluendum, ac temperandum erat, ne tenues uanesceret

sceret

" sceret in auras. Sic aere nutriri spiritus dicuntur, hoc est con-
" seruari, foueri, refici. sic calidum omne, Hipp. lib. de nat. pueri
" frigido moderato nutritur.

Adeò quod, si vera sunt, quæ docet hic doctißimus Laurentius, ipsaque cum meis coniungantur, possumus dicere per admixtionem seminis fęminæ cum semine maris, fieri aggregatum non solum quantitate, sed qualitate etiam aptum, & accommodatum ad fętum instituendum.

Porrò ostendit Gal. locis citatis, secundam membranam fętum inuoluentem, quæ allantoides, idest intestinalis à Medicis vocatur, ex semine fęminæ fieri. Obseruamus enim in dissectis animalibus, membranam allantoidem dependere ex vasis seminarijs, quæ ex fęminæ testibus in processus mammillares, vteri cornua, dictos, committuntur. modò semen à mare eiaculatum vsque ad vteri cornua pertingere non valet. Nam cum recta eiaculatione per vteri ceruicem in fundum illius eiaculetur; non potest adeo, expandi, vt etiam cornua irriget. sed cum ex illis vasis vteri cornibus commißis semen fæmina emittat (nam vt supra cap. 9. dictum est, vasa illa in dissectis animalibus plena semine conspiciuntur, & stylo in ipsis extrinsecus immisso in cauitatem vteri penetramus) quid aliud dicendum est, quam, quòd ex semine fæminæ membrana allantoides procreetur? ostendemus enim in secunda parte huius disputat. cap. 3. membranas non posse, nisi ex semine, generari. rationabile ergo est membranam illam ex semine fæminæ gigni.

Non ita tamen hoc intelligendum est, vt ex eo solo, non ex maris etiam semine gignatur; sed vt fæminæ seminis multo plus, quam seminis maris in generatione illius absumatur. neque ita intelligendum est, vt totum semen fæminæ in generatione illius absumatur. docet enim Hipp. lib. de genit. & experientia ipsa testatur, impoßibile esse partum per omnia esse similem vel patri, vel matri, sed semper vtrisque in aliquo similem esse. at si totum semen fæminę in membranam allantoidem absumeretur, quomodo poßemus saluare partum similem aliqua in parte matri nasci? qua de re infra copiosè cap. vltimo huius primæ partis.

Io. Baptista Syluaticus Mediolanensis, vir quidem meo iu-

dicio

dicio eruditissimus, & de Medicina optimè Meritus controuers. 79. aliam seminis fœminæ necessitatem excogitauit, ita scribens. His rationibus illud accedit, & mea quidem sententia non leuis momenti. Quòd si speciei conseruatio est pro fine generationis constituta, cum indiuiduum nullo modo sempiternum esse possit ob materiæ naturam, feminam, vt eius similitudo, atque species conseruetur, vi generante, atque semine priuatam esse, inconueniens est. Si enim elementis, cæterisque animalibus illud tribuit natura, vt suam similitudinem rebus indant, quo iure, & qua æquitate hac conditione priuata esset femina ipsa? quare, vt perfectorum animalium conditionem, & quæ imperfectorum est, inferiorem, ac deteriorem faciamus, feminis semen à natura datum esse, dicendum est; vt ad generationem necessariò concurrens, conetur potissimum inter coeteros vsus, fetus sibi similes reddere. Hæc necessitas seminis feminæ à doctisimo hoc viro ingeniosè equidem excogitata, atque hoc modo explicata non repugnat ijs, quæ dicemus nos infra cap. 19. Ibi enim statuemus præter caliditatem, & frigiditatem aggregati ex semine maris, & feminæ, ad generationem maris, & feminæ concurrere facultatem formatricem illi aggregato insidentem. Verisimile autem est maximam ad feminam generandam habere efficaciam facultatem à feminæ semine prouenientem; præcipuè, cum in aggregato ex semine maris, & feminæ maior quantitas seminis feminæ reperitur. Attamen si quis attente rem considerare voluerit, non leues instantiæ contra hanc necessitatem moueri possunt. Nam in sequenti cap. ex Hipp. apparebit in mare dari semen & masculeum, & femineum. Et obseruamus etiam mulieres reperiri, quæ cum vno viro semper feminas, cum alio semper mares pepererunt. quod est signum dari semen in maribus aptum pro generandis feminis. Et vlterius obseruamus oriri feminas omnino patribus similes, quod ex alio, quàm ex semine patris accidere non potest. Quapropter ego iuxta principia à me in vltimo huius primæ partis cap. tradenda, hanc necessitatem alio modo explico. Porrò ordinauit natura, vt pro generatione conseruanda plures essent feminæ, quam mares, vt etiam dicemus infra cap. 18. quia vnicus mas sufficit pro multis feminis implendis. Vt plurimum vero feminæ frigi-

dius semen emittunt, mares calidius. ex calidiori mares, ex frigidiori fęminas generari contingit, vt cap. vltimo huius primæ partis apparebit. Si ergo fœminæ semine caruissent, ferè omnes masculi geniti fuißent, contra naturæ intentum. Quare necessarium fuit, vt et ipsę semen generarent, vt quo ad fieri posset maior multitudo fœminarum, seruaretur. Addo præterea ego vnum aliud. Quòd si fœmina semen non generaret, nullam familiaritatem cum semine maris vterus haberet: vnde ipsum non retineret, & conciperet. Mediante enim familiaritate, quam cum proprio semine fœminarum vteri habent, masculinum illos attrahere, & retinere valde rationi consonum est.

Sed circa iam dicta primo scire desiderabit quis, vtrum per ea tantum vasa ad cornua vteri tendentia, & in vteri cauitatem penetrantia, ex quibus membranam allantoidem diximus dependere, fœminæ semen emittant? Obseruamus mulieres grauidas semen extra emittere, vtrum ergo per vasa vteri ad latera ipsius peruenientia semen emittunt? occlusum est tum adeò os vteri interius, vt ne vel minimum quicquam subire, vel excidere possit, vt infra parte secunda cap. 2. statuam. quomodo ergo hoc stare potest? Auic. grauidam mulierem nullis virium conatibus posse in concubitu semen effundere, affirmauit. At hoc experientiæ repugnat. Huic quæstioni ego cum doctissimo Laurentio lib. 2. op. anat. cap. 71. & q. 32. respondeo hoc pacto. Scribit iste vir à se obseruatos fuiße duos ductus semini muliebri excernendo dicatos. prior ductus ad latera vteri emicantia fertur, & hoc semen in vteri cauitatem, si mulier grauida non sit, eiaculatur; breuior enim est, & patentior via. Alter ductus veteribus incognitus, & neotericis etiam, priori continuus, sed aliquatenus oblongior, per latera vteri ad ceruicem, & pudendum desinit. hoc grauidas semen effundere Laurentius existimat. & statuit mulieres, propterea tempore grauidationis maiore, quàm alijs temporibus voluptate in concubitu perfrui; quia vasa hæc à se obseruata, sunt oblongiora, & per ceruicem vteri membranosam excurrunt. His nostris temporibus Iacobus Vidua diligentissimus, & exercitatissimus anatomicus Venetus hæc eadem vasa obseruauit. Cæterum per priorem ductum in grauidis semen in cauitatem vteri

effundi,

effundi, & masculeum attrahi, cum vterus libidine feruet, & seminis est valde appetens, superfœtatio, quæ aliquoties accidit, confirmat. Quomodo autem secundum meam sententiam, stante obseruatione doctissimi Laurentij, superfetatio contingat, dicam: si semen femineum, quando fit conceptio, totum ferè in vteri cauitatem per cornu e. g. dextrum emittatur, coit in membranam allantoidem, ita vt vas cornu dextri obcæcetur, & semen non possit per illud amplius in cauitatem vteri effluere. Si ergo vterus grauidæ libidine ferueat in concubitu, potest per sinistrum cornu emitti illius semen, & aperto vteri ore quinetiam masculeum attrahi, & sic fieri superfœtatio. hoc autem rarissime contingit. Ex hac vero explicatione patet ratio, cur grauidæ ferè semper per vasa ad vteri cornua tendentia semen non emittant, sed per alia, ab his orta ad ceruicem, & pudendum deriuantia, à doctissimo Laurentio obseruata. fere enim semper semen fœmineum, & quando fit conceptio, & extra conceptionis tempus, per vtrunque cornu emittitur; vnde in conceptione vterque aditus obseruatur, producta membrana allantoide ex progressione seminis fœminei in cauitatem vteri. quo circa impeditur, ne semen amplius in illam emitti posit, atque ita per vasa alia dicta in ceruicem emittitur.

Secundò requiret aliquis. propter quid mas ita copiosum semen non generat, vt solum posit sufficere pro conceptu? Credo quod natura prouida viderit, quod si ita copiosum mas emisisset, cito interijsset. quoniam ex seminis emisione valde exoluitur. Dicebat Auic. in lib. de anim. ad vnam partem seminis faciendam concurrere 40. sanguinis. Miraris de hac causa? Non ne secundum Ar. vt vidimus supra cap. 5. adeò solicita fuit natura, ne animalia perfecta ita cito, & crebro semen emitterent, vt in vasis spermaticis replicationes, & reuolutiones multas parauerit? Cur? quia castiora illa esse decebat. Cur ita? Libido vehemens, & crebra in hominibus contemplationi, cui à natura erant destinati, valde officere poterat; sed in equis, & asinis? Sed dices forsan. Videmus in piscibus maximam copiam seminis, ergo maxima quoque reperitur in alijs animalibus, & tanta, quæ sola potest sufficere ad conceptum. Ad hanc instantiam primo dico. esse disparem rationem de semine in piscibus, & animalibus per-

fectis. Pisces non habent perfectum semen, non tantis spiritibus affluens, vt animalia perfecta (seruata proportione inter frigidam naturam piscium, & calidiorem perfectorum animalium) & ideo pisces carent reuolutionibus vasorum seminalium. Nihil igitur vetat pisces mares in maxima quantitate semen habere, nec non etiam in coitu effundere. parum enim ex emissione illius resoluuntur. Cum pauca fiat ex tali emissione spirituum dissipatio, quæ vna est in causa exolutionis animalis. Secundò dico solùm semen marium in piscibus ad conceptum non sufficere, vt etiam in animalibus perfectis non sufficit.

His omnibus ita declaratis licet cuidam quæsito Costæi satisfacere. quærit ipse 5. lib. physiol. disquis: pag. 378. an semen feminæ sit paris, vel imparis cum virili efficaciæ. Non paris respondeo
,, *ego. Si imparis dicit ipse, quo, & qua facultate masculini adiuuet*
,, *actionem? Siue enim calorem, siue viuificam vim suggerere illi*
,, *dixeris, id ipsa res redarguit. Neque enim eius robur, quod ca-*
,, *lidius, quod efficacius est, accessione imbecillioris vel caloris, vel*
,, *roboris augetur. Imò vero (subiungit.) Si ad virilis seminis ad*
,, *iumentum fœmineum requiritur, eodem tempore, quo emittitur*
,, *maris semen, & femineum quoque emitti esset opus. hoc autem*
,, *negat semper contingere, & re vera ita est.*

Pro solutione huius secundæ instantiæ recurrant studiosi ad doctissimum Fernel. 7 physiol. 8. atque ad doctissimum Andream Laurentium in secundo lib. op. anat. q. 23. Quæsito vero facile nos satisfacimus. Dicimus enim semen feminæ neque calorem, neque vim viuificam semini maris suggerere, sed seminis maris actionem ab illo adiuuari, quia illius accessione partes omnes ad fetum spectantes generantur, quę ex solo semine maris generari non poterant, ob rationes iam dictas. accessione enim illius, aggregatum ex seminibus, & quantitate, & qualitate aptum ad generationem fetus efficitur. Virtutem præterea efficientem seminis maris, ex accessione virtutis seminis feminæ, quamuis imbecillioris, corroborationem aliquam accipere, & adiumentum in sua actione admodum rationi consentaneum est, vt visum iam est, & quemadmodum infra cap. vltimo monstrabimus, contingentia circa generationem fetus fidem facere. Quapropter his omnibus, ita

stanti-

stantibus, licet concludere, quòd quamuis maris semen perfectionem semini fœminæ tribuat, non tamen ex se omnia potest, sed auxilijs seminis fœminæ & ipsum, pro generando fœtu indiget. Vnde semen feminæ ad generationem, præter semen maris, necessarium est.

Tandem dicet aliquis, per te vis formatrix est in semine fœminæ, & in semine maris, ergo duæ formatrices virtutes concurrent ad fœtum formandum, quod est absurdum. nam vnius rei vnicum agens. Inferius quando soluam Ar. fundamenta ad hanc instantiam exactius respondebo. Nunc retorqueo contra Ar. argumentum. Feminarum ouiparararum oua subuentanea habent animam Vegetalem ex se, non à semine maris, vt supra cap. 12. ostendi; superueniente ergo mare, oua habebunt duas Vegetales. Hæc difficultas tangitur à Suessano secundo de gen. an. 4. Sed videant studiosi quomodo eam soluat. Ego respondeo. quòd ex commixtione seminis maris, & feminæ vnica forma operans, vnica facultas formatrix resultat, atque ideo fetus ab vnico agente fit, non à duobus. Idem dicendum est de reliquis facultatibus seminibus insidentibus.



Fran-

Francisci Valesij dubitatio, & aliæ grauiores contra determinata, atque earum solutiones. Cap. XV.

Sed alio modo dubitat Franciscus Valesius, vir certè grauissimus, lib. 2. contr. cap. 7. contra determinata, & adeò apud ipsum fuit dubium, quod mouet, validum, vt illum coegerit concedere fęminam de se concipere posse, quamuis quid imperfectum concipiat, vt sunt molæ. Dubium est. statui semen fœminæ, quamuis efficientem virtutem in se habeat, minoris tamen virtutis esse, quàm, vt solùm sufficiat ad conceptum. Sed contra est (in-
,, *quit Valesius) quod Hipp. lib. de genit. ita scribit. Quandoque*
,, *quidem fortius est semen à muliere emissum, aliquando vero de-*
,, *bilius. Similiter etiam quod vir emisit. & est tum in viro fœmi-*
,, *neum, itemque masculum semen, tum itidem in muliere. Ex his*
,, *autem verbis (inquit Valesius) constat fœminæ semen aliquando masculi semine fortius esse, aliquando debilius. Quandoque bonus dormitat Homerus. Miror vnde hanc suam consequentiam grauissimus hic vir deducat. Fęmina quandoque fortius, quandoque debilius semen emittit, similiter & masculus. ergo fœminæ semen aliquando masculi semine fortius est, & sic de se solum potest ad conceptum sufficere? Non potest deduci hæc consequentia. Sciendum ergo est. Hipp. duplex in vtroque sexu cognouisse semen; alterum robustius, & calidius; alterum debilius, & frigidius. Illud masculeum, hoc femineum vocat. Hipp. ergo comparans semen fęminarum inter se, dicit, quòd fęminarum semen non semper est vniforme; Sed aliquando fortius, aliquando debilius, aliquando retinet naturam seminis fęminæ, aliquando accedit ad naturam seminis maris, aliquando calidius est, aliquando frigidius. non facit autem comparationem fęminarum seminis, cum semine marium. Comparans postea semen marium inter se, dicit, quòd aliquando emittitur fortius, calidius, aliquando debilius, frigidius. Fęminarum ergo semen, facta comparatione*

tione

tione cum semine masculi, semper debilius, frigidius est. Cum hoc tamen stat, vt aliquando sit fortius, calidius; aliquando frigidius & debilius. Quòd autem locus in lib. de genitura ita sit intelligendus, patet si ponderentur optimè Hipp. verba, quæ parum infra à iam allatis leguntur. Si ab vtrisque (inquit Hipp.) semen fortius prodierit, masculus erit partus. si debile fęmina nascetur. Si Hipp. quando supra dixit semen fęminæ fortius esse; illud semini maris comparasset, quomodo nunc diceret ab vtrisque, mare scilicet, & fęmina fortius semen prodire, & item debile? Si semen fęminæ & fortius respectu seminis maris, semen maris non potest esse, & ipsum fortius. Idem dicas de debili. Non ergo semen fęminæ, quando Hipp. dixit aliquando fortius esse, cum maris semine, sed inter se ipsum comparauit.

Sed oritur maior difficultas ex nostra determinatione, quam sit illa allata à Vales. Quomodo enim potest verum esse, quòd semen fęminarum sit præditum virtute efficiente, minimè tamen sit potens de se generare. Si Hipp. in primo de diæta videtur statuere, non solum semen fęminæ semen maris superare: Verum cum docuerit, & in fęmina, & in viro masculeum, & fęmineum semen esse, vult, quòd etiamsi fęmina fœmineum, & vir masculeum ad generationem conferat, semen tamen fœminæ fęmineum aliquando superet semen viri masculeum? ergo videtur quòd semen fœminæ sit æqualis, vel etiam maioris perfectionis semine maris, atque ideò possit absque semine maris de se ad conceptum facere. Verba Hipp. sunt hæc. Si vero à muliere quidem fæmineum, à viro autem masculeum, superauerit autem fęmineum, audaciores quidem prioribus fient, verumtamen ornatæ, ac moderatæ etiam ipsæ. Hæc difficultas à nemine (quod ego sciam) fuit animaduersa. eius autem solutio erit mihi fundamentum pro resoluendis multis quæsitis, vt in progreßu apparebit. Declarabo ego Hipp. per Hipp. Recurramus ergo ad Hipp. in lib. de genit. nam comparando ea, quæ tradit Hipp. in primo de diæta cum ijs, quæ docet in lib. de genit. difficultatem adductam, vt opinor, non inepte remouebimus. Hipp. ergo in primo de diæta docet duos modos, secundum quos mares gignantur, & duos secundum quos fęminæ. Primus est in generatione marium, quando tam à mare, quàm

re, quàm

re, quàm à femina semen masculeum, in generatione vero feminæ, quando ab vtrisque femineum prodit. Supposuit enim à mare semen masculeum, & femineum prodire, & itidem à fœmina. Secundus modus est in generatione marium, quando ab vno masculeum, ab alio femineum secernitur, superet vero masculeum. In generatione vero feminæ, quando ab vno femineum, ab alio masculeum secernitur, superet vero femineum In lib. de genit. docet hos duos eosdem modos. Primum modum, secundum quem mas, & femina procreatur, ponit in verbis supra citatis. Scilicet si ab vtrisque semen fortius prodierit, masculus erit partus, si vero debile, femina nascetur. quod enim in lib. de diæta dixit semen masculeum, & femineum, hic vocat fortius, & debile. non est mea interpretatio, sed ipsius Hipp. Nam in lib. de genit. statim supra allata verba se ipsum exponens, scribit. fortior autem masculus fæmina est. Necesse est igitur ipsum à fortiori semine generari. Ergo idem est apud Hipp. semen masculeum, & fortius. per locum vero à contrario, idem dicas de debili, & fæmineo. Secundum vero modum, qui est, quando ab vno masculeum, ab alio fæmineum prodit, superet vero in mare gignendo masculeum, in generanda vero fæmina superet fæmineum, subiungit statim Hipp. ita scribens, Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud partus nascetur. Si enim molto plus fuerit debilis seminis, quàm fortioris, superatur forte, & debili per mixtum in fæminam transit. Si uero plus fuerit fortis, quam debilis, superatur debile, & in marem transit. Ex his uerbis Hipp. in lib. de genit. colligitur modus, secundum quem intelligit, fæminę semen, siue femineum sit, siue masculeum, superare semen maris. Superat enim fæminæ semen, maris semen, quando multitudine maris semini prędualet. Non vult ergo Hipp. in primo de dięta, quòd feminæ semen unquam superet caliditate, affluentia spirituum, & perfectione semen maris, sed quod illud superet aliquando multitudine, & copia. & tunc, pro ut semen fæminæ, est de se uel frigidius, uel calidius, generetur uel fæmina, uel mas. Pro ut enim copia præualet, & calidius, uel frigidius est, iuxta illud, aggregatum ex seminibus temperatum euadit, calidius scilicet, uel frigidius resultat. ex calidiori autem aggregato mas, ex frigidiori uero

si vero fęmina generatur, vt in fine huius primæ partis meæ disput. statuam, atque patefaciam. Idem dicas contingere, quando semen maris copia semen fęminæ excedit, & est vel de se frigidius, vel calidius. Sed, vt apparebit in difficultate proponenda, & dicam in fine huius primæ partis meæ disput. diuersitas aliqua est inter semen fœminæ copia superans, & inter semen maris. Hoc ergo modo Hipp. intelligendo, & interpretando, non sequitur secundum ipsum, fœminę semen, quamuis aliquando superet semen maris, posse de se sufficere vllo modo ad generationem absque maris semine, vt concedere Valesius coactus fuit.

Non coincidit sententiæ Hipp. cum sententia Stratonici Physici, de qua Gal. mentionem facit secundo de sem. 5. Dicebat Stratonicus, marem gigni, cum maris; fęminam, cum fęminæ semen præualet. Vnde merito Gal. obijcit huic sententiæ. euenire scilicet vt fęminæ patri, mares matri quamsimillimi nascantur. Non ergo ex absoluto dominio seminis fęminę, fæmina, seminis maris, mas generatur. Hoc obijci ipsi Hipp. non potest. Nam ipse non docet fęminam generari, cum simpliciter semen fęminæ; marem, cum simpliciter semen maris præualet, vt dicebat Stratonicus. Sed fęminam generari, cum semen fęmineum; marem, cum masculeum superat. semen autem fęmineum, & à fęmina, & à mare prouenit secundum Hipp. & itidem masculeum, vt iam monstraui. Vnde potest dicere Hipp. fęminam similem matri nasci, cum semen matris fęmineum superat semen patris, siue sit fęmineum siue masculeum. Similem vero patri nasci, cum semen fęmineum patris superat semen matris, siue sit masculeum, siue fęmineum. Sed, hęc in fine huius primæ patris plenius declarabuntur.

At grauissima omnium allatarum emergit difficultas ex dictis Hipp. contra nostram interpretationem, & contra iam à nobis determinata. Docet enim Hipp. primo de dięta. quod si à fęmina semen masculeum, à viro fęmineum secedat, Superet autem masculeum, mares generabuntur. Si vero à viro fęmineum, à fęmina masculeum, superet vero fęmineum, fęminę gignentur. Ex his licet concludere, quòd semen semen fæmi-

næ aliquando ſemine maris calidius ſit, & non ſolum multitudine, & copia, ſed etiam caliditate ſemen maris ſuperet.

Cum enim ex ſemine fœminæ maſculeo ſuperante, per Hipp. mas procreetur, ex fœmineo vero viri ſuperante fœmina; & mas ex calidiori ſemper ſemine generetur, fœmina ex frigidiori, ſequitur ſecundum Hipp. quòd ſemen fœminæ maſculeum ſit calidius ſemine viri fœmineo. & ſic falſum eſt, quod iam ſtatuimus, ſemen maris ſemper ſemine fœminæ calidius eſſe. Si enim ita ſe res haberet, ex ſemine maris fœmineo ſuperante, mares, non fœminæ, generarentur ſicuti docet Hipp. Reſpondeo doctrinam primi de diæta de generatione maris, & fœminæ iam recitatam non eſſe integram, & omnibus numeris abſolutam, verùm mancam, & mutilam, illique aliquid ex alijs, & germaniſſimis Hipp. lib. adijciendum eſſe. Scribit ergo Hipp. 5. aph. 48. Mares dextra vteri parte, fœminæ ſiniſtra magis geſtantur. Peto ego, cur hæc ita contingunt? Reſpondent interpretes ob caliditatem partis dextræ, & frigiditatem ſiniſtræ. Audi quid in com. ſcribat Gal. Quod propter temperamentum ſtatim ab initio calidius, maſculus fœtus generetur, demonſtrauimus in commentarijs de ſemine, ſæpe etiam propter locum, ideſt partem vteri dextram (hæc autem protinus ob hepatis viciniam calidior exiſtit) conciliatur fœtui temperatio calidior. quemadmodum ergo dextra vteri pars poteſt id, quod in ipſa conceptum eſt, calidius reddere, non ne idem præſtare poterit vterus temperamenti calidioris? & quod ſiniſtra vteri pars frigidius reddit, nonnè vterus quoque frigidius reddet, ſi natura ſua ſit frigidior? Audi Gal. 5. aph. com. 42. Hæc vero talis conceptus fuiſſet (ideſt frigidior) niſi & viri ſemen, & mulieris vterus, quo concepit tempore fuiſſent frigidiora. Hipp. ergo in aph. exprimens partem dextram, vt calidiorem, ſiniſtram, vt frigidiorem, reliquit, veluti ei mos eſt, vt quod de illis ſcripſit, nos de vteri temperaturis calidioribus, & frigidioribus ſubintelligeremus. Si igitur hæc vera ſunt: ergo non ſolùm ſufficit ſemen calidius ſuperans pro generando mare, verum etiam requiritur, vt vterus ſit calidior: neque ſolum ſemen frigidius ſuperans pro generanda fœmina, verùm requiritur,

vt

vt vterus sit frigidior. Hæc autem in vltimo cap. huius primæ partis dilucidabuntur.

His hunc in modum declaratis. Veniamus ad Hipp. Scribit ergo. Si semen à fæmina masculeum, à viro femineum secedat, superet autem masculeum, fieri marem. Si vterus non sit calidus, vel semen in dextra parte non recipiatur, non est verum. Scribit itidem. Si à viro femineum, à fæmina masculeum secedat, superet femineum, generari feminam. Nego hoc, si vterus sit calidus, vel semen in dextra parte recipiatur. Ergo tam ex semine femineo maris superante, si vterus sit calidus, quam ex semine masculeo fæminæ superante mares generantur. ergo non sequitur, quod semen feminæ masculeum, calidius sit semine maris femineo; neque sequitur etiam, vt sit æquè calidum. nam ex solo semine feminæ masculeo, non generatur mas; verum commixtum est cum eo semen maris, quod calorem seminis fæminæ intendit, quamuis semen maris sit femineum, fæminę masculeum. ostensum enim est supra cap. 14 semen maris semper semine fæminæ calidius esse.

Verum enim vero sicuti à Galeno existimatum est lib. de genit non esse Hipp. sed Polybi, & ita Cornarius quoque testatur. ita primo maximam suspicionem de primo lib. de diæta affert mihi idem Gal. qui 14. de vsu part. cap. 7. & 2. de sem. cap. 5. ex professo intendens causam generationis maris, & feminæ assignare, nullam mentionem eorum, quæ ex Hipp. in lib. 1. de diæta attulimus, facit; ac si ea nunquam legerit; & omninò alia principia supponit. quare ex his coniectari licet, aut Gal. non existimasse lib. illum esse Hipp. aut certè ijs, quæ ibi ab Hipp. docentur, non acquieuisse.

Secundo verò clarè suam opinionem de 1. lib. de diæta Gal. detexit lib. primo de aliment. facult. cap. primo scribens conceptis verbis: primum lib. de diæta plurimum ab Hippocratica sententia recedere. Sed de his iterum in calce huius primæ partis, & accuratius.

Ex principijs Ar. & Auer. probatur semen fœminæ formatricem in se facultatem habere. Tolluntur quędam fugæ Sucssani. Affertur quædam alia Costæi responsio ad argumentum Gal. desumptum ex similitudine natorum, eaque euertitur; atque ad examen reuocatur quædam Fernelij ratio contra Ar. Cap. XVI.

His rationibus hunc in modum stabilitis, ad solutionem Auer. quam argumento à Gal. desumpto ex similitudine natorum, attulit, reuertamur. Cum ergo iam demonstrauerim semen fęminæ formatrice facultate præditum esse, clarè Auer. posset constare falsitas eius solutionis. Si quidem ex hoc sequitur, quòd fęmina effectiue ad generationem concurrit, non quia materiam solummodo præstet. & quòd similitudinis natorum sit in causa eadem specie causę, qua est mas. Nihilominus vlterius progrediamur, & immoremur parum in examinandis principijs tum ab Ar. tum ab Auer. iactis pro causa similitudinis natorum ad parentes reddenda. Inquit Ar. 4 de gen. an. 3. post multas suppositiones. Quòd si semen patris, potentia, quam in se habet generandi sibi simile in indiuiduo, superet menstruum, generatur filius similis patri. Si vero non superet, generatur similis matri. Inquit Auer. in solutione tradita ad argumentum Gal. de similitudine natorum cap. vltimo lib primi de gen. an. quòd semper mas dat formam similitudinariam, fæmina vero pręstat materiam. etsi fæmina præstet materiam promptam formæ simili mari, adhibet ei mas illam formam, & filius fit similis patri. Si vero det materiam conuenientem formæ simili ipsi, tunc mas inducit in eam illam formam, & natus generatur similis matri. Perpendamus omnia hæc dicta diligenter. Nam spero videbi-

ius, quòd si semen maris semper det similitudinem, & non etiam emen fœminæ, non poterimus reddere rationem, quomodo nati similes matri oriantur, & Ar. & Auer. coacti erunt vim efficientem, & formatricem semini fœminæ tribuere. Et hoc fuit illud, quod Gal. induxit ad credendum fœminæ semen vim formatricem in se habere, vt etiam maris semen habet, & quod me quoque ad amplectendam Gal. sententiam maxima ex parte impulit.

Antequam autem perpendamus dicta Ar. & Auer. attendenda est quædam distinctio similitudinis indiuidualis, de qua nunc sermonem habemus. Similitudo enim indiuidualis corporea natorum ad parentes consideratur vel penès colores, vel penès compositionem, & figurationem partium corporis. penes colores, vt si mater exempli gratia sit alba, filius nascatur albus. si rubea, rubeus; si fusca, fuscus &c. quod idem de patre dicas. penès compositionem, & figurationem. vt si mater exempli gratia habeat nasum vel simum, vel supinum, labia crassa, vel tenuia, faciem rotundam, vel longã, & hæc omnia vel simul, vel separatim, filius oriatur penès hæc filius similis omninò matri, & hæc similitudo dicitur similitudo effigiei, et est verior similitudo indiuidualis quã alia, quæ attenditur penes colores. quæ vero diximus de hac similitudine natorũ respectu matris, idẽ dicas de ipsa respectu patris. Similitudo natorum, quæ attenditur penès colores, vt plurimũ ex materia, & ex conditionibus materiæ ducitur. dico vt plurimum. nam aliquando fœminarum imaginatio, vt in sequenti cap. patefaciam, est causa similitudinis quo ad colores filiorum. Causa vero similitudinis effigiei secundum Ar. & totam eius scholam, Galeni, & totam Medicorum classem est semper virtus efficiens, & formatrix. Sed Peripat. volunt in solo semine maris hanc inexistere; Medici etiam in semine fœminæ. Si inuenerimus ergo virtutem in semine fœminæ, quæ sit causa similitudinis effigiei natorum, sine dubio ratum remanebit semen fœminæ facultate efficiente, & formatrice præditum esse.

Sint ergo pater, & mater (quod sæpè etiam contingit) effigie, & figura valde inter se discrepantes. Oriatur ex illis filius similis matri. Quæro ab Ar. cur non similis patri? Respondet.

quia

quia potentia seminis patris, qua sibi simile in indiuiduo generat, non superat menstruum. Cur non superatur menstruum? Respondet non superatur aut defectu facultatis eius, quando coquit, & mouet, aut copia, frigiditateque eius, quod concoquitur, & distinguitur. Sed quocunque horum modorum facultas seminis patris in agendo impediatur, peto ego cur illa facultas, cum non superat menstruum, & impeditur, ne imprimat ipsi figuram similem patri, imprimit figuram matris, quæ tam diuersa à figura patris est, & non potius quamlibet aliam figuram, quæ non adeò figuræ patris sit opposita? Quid respondebit Ar. huic interrogationi? Credo nullo alio modo posse Ar. respondere, quam hoc. Nempè ad generationem iam dictam matrem menstruum præstare, quod maiorem dispositionem habet ad suscipiendam figuram matris, ex qua decisum est, quàm ad aliam alterius fœminæ, ex qua non est decisum. Sed tunc ego dico. menstruum non habet illam dispositionem ad suscipiendam potius figuram matris, à semine patris. quia potentia seminis patris, quam habet generandi sibi simile, disponet semper ad sibi simile. & quia si non disponet ad sibi simile, saltem ad sibi valde diuersum vt disponat non est rationabile. ergo menstruum habet illam dispositionem ad suscipiendam formam similem matri, ab ipsa matre, quod clarè fatetur etiam Auer. in supra recitatis eius dictis. habet enim dispositionem ad figurum illius, quia ab ipsa decisum est. Videamus quomodo à matre secundum Peripat. accipiat hanc dispositionem. Videtur ex Suessano lib. 8. sui dilucidarij q. 2. posse responderi. menstruum ad figuram matris habere dispositionem, quia deciditur ex materia iam toti corpori distributa, in qua particulares membrorum dispositiones aliquatenus sunt impressæ. Non mirum ergo si menstruum, à semine patris non superetur, quòd filius similis matri oriatur. In hac responsione credo quod Suessanus respexit id, quòd scriptum reliquit Ar. de semine maris lib. primo de gen. an. 19. & quod Ar. pronuntiauit de semine, ipse ad menstruum transtulit. Scribit ibi philosophus. rationem exigere, quia semen est excrementum alimenti sanguinei, quod vltimum in membra digeritur, vt filij similes parentibus sint. Simile est enim (inquit) quod ad partes accesserit, ei, quod remanet.

Itaque

Itaque semen manus, aut faciei, aut totius animalis est manus indefinita, aut facies, aut animal totum indefinitum, & quale quodcunque illorum est actu, tale semen potentia est, aut corpulentia sua, aut facultate, siue virtute, quam in se ipso continent. Videamus modo quo pacto Suessanus intelligere possit, menstruum esse excrementum materiæ iam toti corpori distributæ. Intelligit ne, quòd menstruum sit excrementum tertiæ coctionis, quæ in singulis corporis particulis celebratur? an verè, quia, cum ex vena caua & eius ramis magnis corporis particulæ sufficientem vtilem sanguinem pro sui alimonia traxerunt, reliqui, quod tanquam quid redundans in venis illis dimiserunt, portio in menstruum secedat? si intelligit menstruum esse excrementum primo modo, rationabile est dispositiones particulares membrorum aliquatenus in ipso fuisse impressas, cum aliquatenus passum fuerit ab ipsis membris, cum aliquatenus membra in ipsum egerint. si intelligit esse excrementum secundo modo, qua ratione putabimus particulares istas dispositiones à membris illi impressas fuisse, cum nullam alterationem ab ipsis passum fuerit? Sed si quid à membris passum fuit, post sanguinis formam ab hepate acquisitam, à solæ venæ cauæ ramis passum fuerit? At ostendo fieri non posse, vt menstruum sit excrementum tertię coctionis, quæ in singulis membris corporis celebratur. Quia vero ostendi fęminam semen generare, & illud etiam ad generationem necessarium esse, & in secunda parte huius disputationis cap. 3. & 4. demonstraturus sum ipsum materiam esse partium fętus albarum, quæ sunt rubrarum fundamenta afferam primo probationem de semine. Quod autem probabimus de semine fęminę, eodem modo probare poterunt studiosi de semine maris. Dico ergo. si semen est excrementum tertiæ coctionis, quæ in singulis perficitur membris, atque ideò ab ipsis particulares dispositiones illi imprimuntur. quomodo ex singulis corporis membris in vasa seminalia, & testes excrementum hoc deducitur? Statuit Fernel. doctissimus 7. physiol. cap. 2. 3. & 5. testes vehementissima attrahendi vi præditos esse. an ergo materiam seminis ab omnibus partibus corporis attrahunt insita vi? Hanc attrahendi testium facultatem non expressit vllibi certè Ar. sed trahant etiam quantum vult doctissimus ille vir, quomodo at-

do at-

do attrahere poßunt materiam, quæ ex nutritione exempli gratia manuum, & pedum superfluit? Nam si eam ad se attrahunt, opus est, vt ex poris, qui in substantia sunt similarium partium manuum, & pedum, & qui alimentum pro nutritione earundem partium excipiunt, in venas primo capillares illa attrahatur, deinde ex his in parum maiores, ex his in adhuc maiores, ex his in alias maiores, tandem in maximam, & ex hac in vasa seminalia, deinde in testes. At hic modus attrahendi est in imaginabilis, neque eum admisit quoque Fernel. loco citato. Videamus an ita sit, pro exemplo aßumentes membra magnitudine multum testes superantia, quæ insita vi quosdam succos attrahunt ad se. Lien insita vi melancholicum succum, renes serum ad se attrahunt; sunt viscera maxima, & tamen non nisi per ampla, eaque sibi vicina vasa dictos humores attrahunt. Si in toto corpore, in carnibus, melancholicus, serosusque humor contineantur, corpus ab eis non expurgant. Per quos longos tractus, per quot intricatos gyros materia seminis in testes attraheretur, si à quauis particula corporis in illos attraheretur? Si verum quoque esset semen fœminarum esse excrementum tertiæ coctionis quæ in quibusque corporis particulis fit, idem contigeret de semine marium: at in quo quæso differet hæc positio ab Antiquorum sententia, qui statuerunt (vt Ar. illis imponit) semen ab omnibus partibus corporis secedere, contra quos insurgit idem Ar. primo de gen. an. 18. validissimis rationibus, & Fernel. quoque alijs, à se non inepte excogitatis loco citato? Neque arbitror ex Ar. verbis elicitur semen maris esse excrementum tertię coctionis, quæ in singulis quibusque partibus fit. Nam dicit semen esse excrementum alimenti sanguinei, quod vltimum in membra digeritur. non dicit quod vltimum in membra digestum est, distributum est. adeo quod videtur mihi ex verbis Ar. quod ipse intelligat semen esse excrementum secundo modo iam de menstruo declarato.

Verùm agamus etiam de sanguine menstruo, & probemus illum etiam non posse eße excrementum tertię coctionis, quę in singulis membris celebratur. Et primo consideremus diuisionem à nobis ipsius menstrui traditam supra in 2. cap. atque eam etiam melius declaremus iuxta nostra principia. Omnem ergo sanguinis

nis ex vtero eiectionem ab Antiquis, & Neotericis etiam, nomine menstrui appellatam inuenimus. Hoc vero duplex est, aliud purum, aliud impurum. Impurum est, quod singulis mensibus excernitur.

Cum enim vterus sit veluti sentina, & cloaca, ad quam natura omnes sordes deponere solet, præcipuè hoc agit, tempore, quo fluunt menstrua. tunc enim magis est concitata facultas expultrix, & viæ sunt magis apertæ. Hoc ergo tempore praui humores, qui in corpore reperiuntur ad vterum missi, cum menstruo permiscentur, & prauam efficiunt mixtionem, sicque menstruum impurum profluit. Est etiam impurum, quod fluit singulis mensibus. quia cum sit sanguis superabundans, non potest à natura regi, fauoreque illius destituitur, vnde malum sibi asciscit qualitatem, & naturæ molestam, quamuis in proprio loco, in venis scilicet, contineatur, & locus sit conseruatiuus locati, vt obijcit eruditissimus Mercur. lib. 4. de morbis mul. cap. 1. Hinc est, quòd si mulier grauida fiat, tempore, quo menstruum profluit, leprosus, & elephanticus fœtus oritur. Hinc etiam fit, vt mulieres ex suppressione menstruorum in habitum athleticum non incidant, sed in cacochymias, tumores viscerum, hydropes, inappetentias, palpitationes cordis, syncopes, pthyses, epilepsias, melancholias, cancros, & alia huiusmodi mala.

Impurum menstruum non est aptum pro generatione, aut alitione fœtus in vtero; atque ob id toto grauidationis tempore in venis vsque ad partum reseruatur, à partuque expurgatur, atque si supprimitur dira infert symptomata. Si idem est sanguis is, qui statis periodis, vt inquit doctissimus Laurentius 2. op. anat. q. 20. per vterum excernitur, cum eo, quo & viscerum parenchymatæ coagmentantur, & fœtus in vtero alitur, cur eius portio tempore grauidationis intus in venis à partu expurganda reseruatur, & non potius in fœtus nutritionem absumitur?

Gal. 2. pror. com. 48. scribit tempore gestationis fœtus absumi in illius alimentum vtilem sanguinem, & vitiosiorem in venis permanere, qui singulis mẽsibus antea per vterum excernebatur. Similiter 3. in primum epid. 21. scribit exquisite inculpatum à partu sanguinem nunquam prodire. (nota illam negatiuam vni-

uersalem, nunquam,) nam eius optima portio in fœtus incrementum est insumpta. quomodo ergo fieri potest, vt sanguis ille, qui tempore grauidationis intus reseruatur, sit semper vitiosus, nunquam exquisite inculpatus, vt propterea eo fetus nutriri haud valeat, & sit ille qui singulis mensibus antea per vterum excernebatur, nihilominus sanguis, qui singulis mensibus excernitur, sit alimentarius? sit eiusdem naturæ cum eo, quo viscera coagmentantur, vt concordes esse videntur contra Fernelium Mercurialis, Massaria, Laurentius, Rudius meus amantissimus præceptor?

Dicet aliquis; quomodo menstruum reseruatum in grauidis vsque ad partum, est impurum, & vitiosum? non ne hoc post partum transit in lac pro nutritione æditi fœtus? fœtus non nisi puro, & benigno nutritur, ergo & purum, & benignum erat, quod tempore grauidationis intus reseruabatur? Facilis est responsio. Nutritur quidem dulci, & benigno fœtus, sed nemo dicet totum lac ipsi cedere in alimentum. nam per multas trasmutationes lac in nutrimentum vertitur fœtus, in quibus varia excrementa generantur. Lac ergo, & puram, & impuram portionem menstrui in se habet, at antequam ipso nutriatur fœtus, secernitur pura ab impura. Adde quod quidquid est vitiosi in menstruo, potest aliquo pacto corrigi in trasmutatione illius, quæ in mammis fit, dum in lac à propria mammarum substantia vertitur.

Plinius, & alij pessima quædam narrant contingere ex menstruis. Datur me iudice menstruum magis, & minus impurum, & vitiosum, pro vt corpora fœminarum sunt magis, & minus impura; vel ergo in maximam impuritatem menstrui illa referrem, vel in corruptionem illius. atque ideo non de omni menstruo illa verificantur. Vtcunque autem de hoc quæsito sit. nam de ipso disputare hic locus non est. Cum impurum menstruum ad generationem, & nutritionem fœtus non concurrat, clarum est, licet esset excrementum tertiæ coctionis, & dispositiones particulares in ipso à membris impressæ fuissent, non posse esse in causa, vt filius figura matri similis oriatur, vt in casu nostro supposuimus.

Purum

Purum menstruum est, quod non habet mixtionem prauorum humorum, quod à natura regitur, eiusdemque naturæ est cum reliquo sanguine in venis contento. proinde etiam, & pro generatione fętus, & illius alitione in vterum attrahitur. Hoc ergo purum non esse excrementum tertiæ coctionis, neque poße ipsi ab ipsis membris particulares dispositiones imprimi, per quas filius oriatur figuræ matri similis, diuersis rationibus patefaciamus.

Si sanguis superfluere debet in alitione singularum corporis partium, non ne rationabilius est, vt illæ attrahant successiue ad se ex venis magnis id, quod potest sufficere pro earum nutritione, & reliquum, quo non indigent, in ipsis venis magnis relinquant; quam vt singulæ attrahant plus, quam indigeant, & illud iterum postea in venas magnas deponant, & inde ad vteri venas? Non ne attractio ista est superuacua? At nil natura superuacui instituit. Quod si dicat aliquis cum doctißimo Laurentio loco citato, idem contingere de singulis particulis, quod contingit de ventriculo, qui chylo saturatus, ipsum in intestina detrudit. particulæ vero saturatę sanguine, quod reliquum est in venas refundunt, euomuntque. Respondeo. quòd sicuti in natura menstrui declaranda dissentio ab hoc doctißimo viro, & ab alijs iam nominatis, ita, vt libere dicam, quod sentio, in hoc mihi eius sententia non probatur. Dißimilis enim est ratio de membris, quæ munus publicum sustinent, & de ijs, quæ non. Natura enim instituit, vt prima plus conficerent alimenti, quàm indigerent, vt alijs in alimentum cedere poſſet, & ob id etiam plurimum caloris illis indidit. at hoc non instituit de secundis. quare si particulæ omnes corporis plus alimenti attrahunt ex venis, quàm indigeant, & quod illorum superfluum est postea refundunt in easdem venas. non ne attractio hæc est superabundans, & excedens? si debebat superabundare materia pro menstruo, non ne melius erat, vt in venis magnis ea superabundaret? vt particulæ hanc superabundantiam in venis relinquerent? Sed fac hanc rationem esse nullam. quæso studiosi imaginentur iter, quod debet conficere residuum illud sanguinis, quòd à particulis omnibus in venas magnas refunditur, & inde ad vteri venas promanat, & videbunt esse iter imperceptibile, vt diximus de seminis itinere. Vlterius notent vnum

aliud absurdum. Attraxerunt particulæ sanguinem bonum pro sui nutritione, sed plus attraxerunt, quàm indigebant ne? Peto ego cur residuum illud sanguinis laudabilis in venas reuomunt, cum saturatæ sunt, si statim ac saturatæ sunt ob continuum à calore substantiæ nostræ fluorem, indigent nouo sanguine? Cur illud residuum expellunt, vt simile attrahant de nouo? Sed fac residuum illud refundi in venas. eodem ergo tempore vt nouum attrahatur in partium substantiam necesse est. ergo per quaslibet etiam minimas venas, per venas capillares duo motus contrarij erunt; vnum attractionis, alterum expulsionis. vno, & eodem tempore per quodlibet minimum orificium venarum desinentium in partium substantiam sanguis egredietur, & ingredietur. egredietur è venis in partium substantiam pro earum nutritione. ingredietur iterum venas pro menstruo. quæ apud me sunt in imaginabilia. Licet enim duo motus contrarij sint in aliquibus venis, vt meseraicis, illæ paruæ non sunt, vt capillares, sed multo maiores, & datur hoc aptior modus pro congregatione menstrui, vt iam patefecimus. Particulares ergo dispositiones membrorum neque etiam possunt menstruo puro imprimi per aliquam membrorum in ipsum actionem factam, atque ideò per has filius figuræ matri similis haud nasci potest, vt in casu à nobis proposito suppositum fuit.

Sed fac etiam, vt particulares membrorum omnium dispositiones in menstruo impressæ sint ab ipsis membris, ob id filius matri similis quo ad figuram esse non poterit. quia similitudo in figura prouenit potissimum, ex compage, & figura partium corporis albarum. nam sunt hæc fundamenta membrorum omnium, & non ex menstruo, sed ex semine fiunt, vt infra dicemus cõtra Costæum. Ergo quamuis particulares dispositiones membrorum imprimerentur sanguini menstruo, non ob id filius figuræ matri similis nasceretur; sed necessarium est, vt in semine matris imprimantur, si debet figuræ matri similis oriri. Aut absolute filios matri similes oriri, quia in semine matris insideat formatrix facultas, vt etiam in semine patris, quæ sit causa similitudinis. modus declarabitur in vltimo cap. huius primæ partis. Hæc autem est conclusio, quàm probare intendebamus contra aduersarios, & est

opinio

opinio Medicorum Ar. contraria.

Quod spectat ad alterum; in manus resumamus orationem de dispositionibus membrorum in semine impressis, & subtilius rem rimemur, videamusque, an possint imprimi aliquo modo particulares membrorum dispositiones semini feminæ. Sed non quia ab ipsis aliquam alterationem eius materia sustinuerit, vt confutauimus; & inuento hoc modo, quid etiam ex eo contra Perip. colligatur. voco materiam seminis nunc, corpulentiam ipsius.

Credo ego, si filius matri effigie similis oritur ob dispositiones particulares membrorum semini ipsius impressas, cum nullo modo membra alia in materiam seminis agere posint pæter venam cauam, & arteriam magnam, atque vasa seminalia ab his orta. (actio enim omnis fit per contactum) solos spiritus seminis has impressiones suscipere posse. Nam spiritus tum vitales, tum naturales pro fouendis, & restaurandis spiritibus innatis à corde, & hepate feruntur ad cunctas corporis partes, moram vero cum illis trahendo ab eisdem mutationem aliquam suscipiunt, per quàm fiunt veluti illarum proprij, proprietatesque, atque ideas illarum recipiunt; cum vero sui natura sint valde mobiles, & vehementer per vniuersum corpus circumferantur, & oberrent, ad vasa seminalia, & testes delati, in se ideas, & proprietates partium omnium, quibuscum moram traxerunt, seruantes, seminis materiæ vera mistione permiscentur, mediante ea mutatione, quàm in dictis locis subit. Vnde possumus dicere, in semine, vt quodam misto resultante ex spiritibus, & seminali materia, particulares dispositiones partium omnium impreßas eße, proinde dispositum esse ad suscipiendas figuras particulares, & similitudines illarum, non quia scilicet membra dispositiones has ipsius materiali, sed spiritali parti imprimant; proinde insiti sint semini spiritus ideas partium omnium, à quibus emanarunt, in se habentes.

At cum spiritus semini insiti agentis, & conformantis munere fungantur, vt cap. 11. & 12. ostensum est, vnde valent ideas, quas in se habent, exprimere. ergo dispositiones particulares, per quas semen fœminarum secundum Suessanum, est magis dispositum ad suscipiendas figuras illarum, quàm marium, non dependent à principio aliquo pasiuo, sed ab effectiuo, & ar-

guunt in semine feminæ quid agens, non patiens. Sed cum iterum spiritus semini insiti sint agens, non primarium, sed secundarium, instrumentum scilicet, & instrumentum conformans, & vlterius vbicunque est instrumentum, ibi quoque de necessitate sit virtus appropriata illi instrumento, quid aliud concludendum est, quàm feminæ semen virtutem insitam formatricem in se habere?

Vlterius imaginatur Suessanus, quantum coniicio ex eius dictis, quia menstruum est portio sanguinis, quæ superfluit ex nutritione membrorum, ipsum paßum fuisse aliquo pacto ab ipsis membris, & ideò particulares dispositiones membrorum matris aliquatenus suscepisse, per quas sit magis dispositum ad suscipiendas figuras particulares membrorum matris, quàm alterius feminę, & sic per illas dispositiones, ex ipso oriri filium magis matri, quàm alteri feminæ effigie similem.

Sed cum ego iam ostenderim neque menstruum, neque corpulentiam seminis fœminæ perpessionem aliquam à membris feminæ sustinere poße, & quamuis menstruum aliquam ab illis sustinerent, non tamen ob id filios posse nasci figuræ matri similes, non potero forsan probabilius imaginari spiritus vitales, & naturales à singulis corporis partibus in seminalia vasa, & testes deferri, & materiæ, ex qua conficitur semen, permisceri: in hoc vero permistionis opere quia, per moram, quam cum ipsis partibus traxerunt, veluti illarum proprij facti erant, ideasque illarum præseferunt, materiæ illi quoquomodo imprimere proprietates, & dispositiones particulares partium, à quibus emanarunt? Hinc fieri, vt semen matris in se habeat disdositionem ad suscipiendam figuram potius matris, quàm alterius feminæ? Quæ autem dixi de semine feminæ, eadem de semine maris dicenda sunt.

Vnum notandum est, antequam vlterius progrediar, quòd quamuis spiritus aliqui permisceantur aliquo modo menstruo, non tamen dici potest illud in se particulares dispositiones membrorum impressas habere, aut eos ipsi imprimere particulares membrorum dispositiones. Pauci enim, qui in ipso continentur spiritus, sunt in transitu, non permanenter, non per aliquam illius transmutationem, & per veram mistionem, veluti sunt in humore, ex quo semen in vasis seminalibus, & testibus conficitur, vt ob

id neque etiam ad menstrui, veluti ad seminis naturam constituendam concurrant, quemadmodum declaratum est supra cap. 8. neque menstrui, sicuti seminis partes sunt. Quomodo ergo dicendum est menstruum habere in se impressas dispositiones particulares membrorum, si nulla illius pars habet in se illas impressas?

Declarabimus vero in sequenti cap. alio quodam modo à iam declarato, & à philosophis excogitato, spiritus ideas partium corporis in se concipere, retinere, & non solum semini, sed etiam sanguini menstruo illas communicare posse, multosque alios spirituum admirandos effectus afferemus.

Quòd si & hæc verisimilia sunt, & probabiliora ijs, quæ imaginatus est Suessanus, liceat mihi augere contra ipsum hunc in modum. Idem est agens disponens, & inducens formam, Zimara theorem. 114. spiritus semini fęminæ insiti disponunt semen dum simul cum humore, ex quo semen conficitur in testibus, permiscentur ad suscipiendas particulares figuras membrorum illius: ergo figuras quoque particulares illorum ex eodem educent, cum illud cum semine maris in vtero, vt loco apto, mixtum fuerit, & ex illo partes effigie similes illis, à quibus emanarunt, formabunt. At non possunt formare de se. Sunt enim instrumenta, non agentia primaria, & vbi est instrumentum, ibi quoque virtus appropriata illi instrumento vt sit, necesse est. Si igitur in semine fęminæ, spiritus continentur formantes, in eo quoque vt formatrix facultas sit, necesse est.

Vide quomodo vndique angustijs Peripatetici obsideantur. At obijciet forsan aliquis. Illam propositionem, idem est agens disponens, & inducens formam, esse veram de forma substantiali, non accidentali. Dico in naturalibus illam propositionem esse veram de vtraque forma, loquendo de formis, quę mediante actione reali, non spiritali introducuntur, vt contingit de luce, quæ disponit medium, color vero inducit speciem. Stemus enim in nostro exemplo spiritus in semine fęminæ inexistens est agens disponens ad figuras particulares partium, si idem spiritus non est inducens illas figuras, quod nam erit tale inducens? Sed accipe hoc argumentum. Qui dat formam, non ne dat consequentia

for-

formam? figura consequitur formam. ergo quod dat formam, dat figuram. Sed quod dat formam, disponit ad formam, & quantum dat de forma, tantum dat de consequentibus formam. ergo quod dat figuram, disponit ad figuram. ergo idem est agens dans figuram, & disponens ad illam. & sic propositio illa vera est etiam de formis accidentalibus.

Ex his fortasse potest defendi non temerè sententia Antiquorum, qui putarunt similitudines particulares, quas filij cum proprijs parentibus habent, non ex alio pendere, quàm, quòd semen ab omnibus partibus corporis secedat. Vnde potest partes similes parentibus generare. Licet enim interpretari sententiam Antiquorum, quòd semen decidat ab omnibus partibus corporis, non secundum partem corpulentam quæ est passiua, sed secundum partem ipsius spirituosam quæ est actiua. Et si comparabimus doctrinam Antiquorum hoc modo intellectam, cum doctrina Ar. multo clarior, & forsan firmior ipsorum, quàm Ar. doctrina erit. Nam non est, quod Ar. dicat, sufficere ad saluandas similitudines filiorum cum parentibus, quòd semen non decidat ab omnibus partibus corporis, sed quòd sit aptum suapte natura ad omnes partes, & habeat facultatem in se simile generandi. oportet enim vlterius declarare modum, secundum quem semen maris est aptum ad partes filiorum similes mari generandas, & secundum quem semen fœminæ, vel menstruum faciat, vel concurrat ad partes filiorum similes fœminæ procreandas. In declarando autem hoc modo, vt iam patefeci, colligimus in semine fœminæ formantem facultatem, vt in semine maris, inesse.

Porrò semen (vt redeamus ad primum propositum) & maris, & fœminę est excrementum tertiæ coctionis, hoc modo. Nam materia illius superfluit ex nutritione vasorum seminalium, & testium. Quodsi hoc verum est, vt est verissimum, quomodo semen potest acquirere dispositiones, quas isti imaginantur à singulis corporis membris? Sed an verum sit, semen esse excrementum nutritionis vasorum seminalium, & testium, & hac ratione posse dici excrementum tertiæ coctionis, studiosi dijudicabunt ex ijs, quæ docentur à Diuino Galeno præcipuè primo de sem. 12. & 16. & à grauissimo Valesio 2. contr. 8. nec non ab Andrea Lauren-

tio

tio huius nostræ ætatis anatomicorum splendore lib. 2. op. anat. q. 14. Nimis enim volumen excresceret, si singula vellem ita ad vnguem persequi.

Verùm iterum arguo contra responsionem Suessani. Vel particulares dispositiones membrorum, quæ semini feminę imprimuntur, quia deciditur ex materia iam toti distributa, arguunt in semine fœminæ adesse virtutem passiuam, vel effectiuam. Non passiuam. ergo effectiuam. Probatur non arguere pasiuam. Nam semen maris deciditur, per Ar. 1. de gen. an. 19. iam citato, ex materia toti distributa. ergo particulares membrorum dispositiones in ipso impressæ sunt. ergo in ipso virtutem pasiuam, non effectiuam contineri concludam. At hoc est contra Ar. & Peripat. ergo non est dicendum particulares dispositiones membrorum impressas semini, quia decidatur ex materia toti iam distributa, arguere virtutem pasiuam. ergo arguunt actiuam. ergo semen fœminæ contra Ar. facultatem efficientem, & formatricem in se continet. ergo contra Auer. concurrit ad generationem, in eadem specie causæ, cum semine maris.

Si diceret Peripateticus aliquis. se non acquiescere in doctrina tradita à me de spiritibus semini commixtis. responderem ego. me in illorum scriptis hactenus non reperisse aliquid, quod doctrinam eam demoliatur. Si verò is acquiescere non potest in ea doctrina, quæ tamen sapientisimam Antiquitatem consentientem habet; Arguamus contra eum breuiter in hunc alium modum. Dicis tuũ menstruum maiorem dispositionem habere ad suscipiendam figurã matris, ex qua decisum est, quàm alterius feminæ, ex qua non est decisum. Ostendi contra te. quòd si menstruum habet maiorem dispositionem ad suscipiendam figuram matris, non potest dispositionem illam habere à semine patris. Vnde relinquitur, quòd à matre eam habeat. Tunc sic arguo. Idem est agens disponens, & inducens formam. mater disponit menstruũ, nos dicamus suum semen ob rationem supradictam, ad recipiendã figurã matris. ergo mater dat quoque illi propriam figurã in conceptione. non põt dare illi figurã propriam, nisi ipsi tribuat facultatem, cuius munus sit figuras tribuere, (nullo enim alio modo, vel mas ipse figuram suam, effigiem propriam in conceptum introducit) at talis facultas non est, nisi for

matrix per Ar. etiam ipsum . ergo mater virtutem formatricem suo semini largitur. ergo in illo facultas formatrix reperitur, ergo illud concurrit effectiue, & contra Auer. mater ipsa secundum eandem speciem causæ ad generationem fœtus.

Examinemus hic quandam declarationem, quàm suis dictis Peripat. afferunt. Dicunt, cum effectrix virtus in semine patris inexistens est imbecillis, non potest formare fętum sibi similem, sed format similem matri. hoc autem prouenire ex impedimento agentis. Cum enim agens impeditur in sua actione propter eius imbecillitatem, siue sit de se imbecille, siue propter inobedientiam materiæ, facit, quod non intendit. Sed studiosi non discedant à principio à me iacto. Sint pater, & mater effigie valde diuersi, & in quibusdam etiam particularibus dispositionibus contrarij, vt sepè videre est. Impediatur semen patris à semine matris, ne posit generare fętũ sibi similem, quomodo fit, vt ex hoc impedimento fœtus oriatur similis magis matri, quàm cuilibet alteri? Cur in hoc impedimento, limitatur actio seminis patris ad dandam figuram matris, non alterius, quæ nõ adeò diuersa ab effigie patris sit, vt est matris effigies? oportet deuenire ad hoc. semen patris ex impedimento formare fœtum ad similitudinem matris, eo quia matris semẽ, vel menstruum maiorem aptitudinem habeat, ad recipiendam similitudinem matris, quàm patris, vel cuiuslibet alterius. Sed vnde habet illã aptitudinem dico ego? à patris semine? an à matre ipsa? non à patris semine: Nam, vt supra dixi, patris semen non dabit, nisi aptitudinem ad recipiẽdam similitudinem patris, aut saltem similitudinem aliquam, quæ non valde distet à similitudine patris, vt distare matris effigiem suppolui. ergo habet hanc aptitudinem ab ipsa matre, vt pote à qua est decisum; & hoc clarè fatetur etiam Auer. vt iam iam videbis, sed dico ego. qualis est ista aptitudo? in quo consistit hæc aptitudo ò Peripatetici? oportet hoc declarare, & in hoc declarando res reducetur, vel ad dictum Suessani, vel ad positionem Medicorum è directo Arist. contrariam, vel ad nostram positionem de spiritibus. Sanguis enim vester menstruus est mollis, fluxilis, ad quàm libet figuram recipiendam æquè aptus, & accommodatus, quòd tu dicas de semine fœmineo. in quo ergo talis aptitudo consistet? A quo habet sanguis menstruus, & semen

fœminæ,

fœminæ, vt limitetur ad recipiendam potius hanc, quàm illam figuram? quomodo limitatur?

Verùm enimvero tempus est interrogandi ipsum quoq; Auer. Cur est, quòd ex patre, & matre effigie inter se valde differentibus, natus oritur similis matri, non patri, cum semper mas per Auer. tribuat formam similitudinariam? Inquit Auer. loco citato. quia mater dat materiam promptam formæ simili ipsi, non autem formæ simili patri. Sed ego dico. Cum idem sit agens, dans promptitudinem ad accipiendam aliquam formam, & inducens illam formam. si mater dat materiam promptam ad accipiendam figuram matris, dabit quoque ei figuram illam, non autem pater. & sic effectiue fœmina ad generationem concurret, & sic mas, & fœmina non in communi genere causæ, sed in eadem specie conuenient, contra, ac Auer. vult.

Quid. dicis modo Auer. mas, & fœmina sunt ne causa similitudinis natorum, vt calcei causa est Socrates coriarius, & Plato calceolarius? An vt scamni causa est Socrates, & Plato, qui ambo sint carpentarij? Examinemus quæso exempla Auer. vt videamus quodnam ex illis duobus exemplis magis sit aptum pro declarando modo, secundum quem mas, & fęmina sunt similitudinis causa. Accipiamus primum exemplum de calceo. Socrates coriarius non facit calceum, sed facit corium. at calceus, & corium non sunt idem effectus specie, sed differunt specie. Quid igitur mirum est, quod non fiant ab eadem specie causa, quæ Socrati coriario, & Platoni calceolario insit idest ab eadem specie arte? At non sic res est de similitudine natorum ad suos parentes. Nam cum natus patri, vel matri similis oritur, tam pater, quàm mater sunt causa similitudinis, & eiusdem speciei effectus. Similitudo enim non differt specie à similitudine in eadem specie animalis. quid ergo mirum est, necessarium esse, cum pater, & mater sint duæ res distinctæ, vt in aliquo principio eiusdem essentiæ debeant conuenire, quod sit causa effectus, qui idem specie ab vtrisque procedit?

Accipiamus alterum exemplum. Scamnum fit à Socrate Carpentario, & à Platone Carpentario. Hic producitur effectus idem specie ab vtrisque, Scamnum scilicet. quia ergo est effectus

idem ſpecie, arguit in vtriſque cauſam eſſe ſpecie eandem, artem ſcilicet Carpentariam. A pari ego dico. ſimilitudo natorum, ſiue natus patri, ſiue matri ſit ſimilis, eſt idem effectus ſpecie; nam ſimilitudo non differt ſpecie à ſimilitudine; ſicuti quoddam ſcamnũ, quamuis differat ab alio ſcamno, attamen ſcamnum eſt; & pater, & mater concurrunt tanquam cauſa ſimilitudinis, vt hactenus oſtendi. patefeci enim quotieſcunq; natus ſimilis matri naſcitur, hoc non poſſe prouenire à ſemine patris, ſed ab ipſa matre, & hoc in genere concedunt quoq; Ar. & Auer. ergo arguit in vtriſque cauſam communem, quæ ſpecie ſit eadem, non genere. effectus communis, ſpecie idem, non poteſt arguere, niſi communem ſpecie cauſam. talis cauſa nõ poteſt eße menſtruum per ipſos quoq; Peripat. ergo eſt ſemen. Talis cauſa debet eſſe ſpecie eadem. ergo ſemen in vtriſq; eſt Specie idem. Sed non poteſt eße ſpecie idem, niſi eadem virtute in vtriſq; præditum ſit. nam vnũ eſſet verum ſemen, alterum ęquiuoce ſemen. ergo ſi ſemen maris habet virtutem formatricem, ſemen quoq; fęminę in ſe illã continet. Vide quomodo ſtando in exẽplis ab Auer. excogitatis, atq; ea applicando arg. à Gal. allato, nil illud labefactant, imò ex ijs contrarium, ac Auer. putauit, colligitur. Rogo autem ſtudioſos, vt prater hęc, quę nos aduerſus ingenioſam Auer. argumentationem excogitauimus, non grauentur videre ea, quæ contra eandem attulit eruditiſſimus Io. Baptiſta Syluaticus contr. 79. qui vnus, ex ijs, quos hactenus mihi legere licuit, eam animaduertit, neque diſſimulauit.

Sed lubet iterum ad Ar. reuertere, & alium mihi caſum ſupponere, imò contrarium ei, quem in prima interrogatione ſuppoſui. ſit mater effigie parum admodum à patre diſcrepãs, vt aliquoties obſeruatur. Oriatur filius ex illis ſimilis matri. inquit Ar. quòd potentia ſeminis patris ſibi ſimile generandi in indiuiduo, tunc non ſuperauit menſtruum, & ideo non impreſsit figuram patris, ſed eius oppoſitum figuram matris. Quod enim in generatione
„ *non ſuperatur (inquit Ar.) tranſeat in oppoſitum neceſſe eſt, pro*
„ *ea facultate, qua non ſuperarit, quod generat, moueatque. Quòd*
„ *ſi quà eſt mas, non potuit, fœmina gignitur. Sed ſi quà eſt Coriſcus, aut Socrates, non patri, ſed matri ſimile gignitur. Vt enim*
„ *omninò patri mater opponitur. ſic ſingulis generantibus, ſingulæ*

gene-

generantes opponuntur. Sed contra. si semen patris, quando potentia, quam habet generandi sibi simile in indiuiduo, non superat menstruum, figuram patris imprimere non valet, atque ideò imprimit figuram matris, quia mutat ad oppositum, & contrarium. Cum matris figura in nostro casu multo minus sit figuræ patris contraria, quàm quælibet alia, at ne contraria quidem, Cur fit, vt virtus seminis patris generans, quamlibet aliam figuram à figura matris, tanquam contrariam patris figuræ, non imprimat? si recurres ad dispositionem, quam habet menstruum ad figuram matris, non ad aliarum figuram, iam patet ex dictis in prima interrogatione, quomodo te conuincam. si recurres ad impedimentum. & hoc quoque confutatum est.

Deinde. cum patris semen per Ar. imprimit menstruo (nos dicamus fœminæ semini ob rationes supra allatas) figuram patris, superat menstruum, & hoc est agere per Ar. & hæc est actio principij efficientis. Tunc sic arguo. si efficientis, & formantis est facultatis in semine patris, figuram patris imprimere, & cum figuram patris imprimit, dicitur superare semen matris. ergo efficientis erit facultatis in semine matris, figuram matris imprimere, & cum semen matris impresserit figuram similem matri, dicendum erit semen matris superasse semen patris. At iam demonstraui, quòd quotiescunque natus similis matri oritur, hoc non ab alio potest procedere, quàm vt semen matris figuram propriam imprimat. ergo relinquitur efficientem, & formantem facultatem semini matris inesse, & semen matris superare semen patris. Sed perpende bene supra citata verba Ar. & videbis ipsum in illis generantem facultatem fęminæ semini concedere. Inquit enim. Vt enim omninò patri mater opponitur, sic singulis generantibus, singulæ generantes opponuntur. Sueßanus interpretatur sic hæc verba. singulis generantibus virtutibus, singulæ generantes virtutes opponuntur. ergo per ipsum Ar. generanti virtuti indiuiduali seminis patris, opponitur virtus generans indiuidualis seminis matris. ergo per ipsum Ar. in semine fęminę virtus generans continetur. Vidit Suessanus posse hoc colligi contra Ar. ex ipsius iam adductis verbis, atq; ideò occurrit argumento hunc in modū. Dicit ergo primo singulis generantibus facultatibus singulas generantes

nerantes opponi, videlicet Socrati, non Socrates, homini non ho-
„ mo, sed monstrum. Subiungit vero. appellauit autem virtutes,
„ quæ opponuntur, generantes, quia licet generentur. tamen tra-
„ hendo ad se fętum, possunt dici generantes. Responsio equidem,
quæ neque stare potest cum verbis Ar. neque cum ipsa verita-
te. Non cum verbis Ar. quia Ar. opponit Socrati matrem, non
autem non Socratem, & mari, fęminam. Audi Ar. iterum.
„ Quod si, quà est mas, non potuit, fęmina gignitur; sed si qua est
„ Coriscus, aut Socrates, non patri, sed matri simile gignitur. Non
„ cum ipsa veritate. Nam si quæ generantes facultates opponun-
tur, trahunt ad suam naturam fętum, non possunt esse meræ pri-
uationes, vt non Socrates, non mas, non homo. priuatio nil agit.
ergo sub illis priuationibus sunt formæ operantes. Priuatio sem-
per supponit aliquam formam. ergo facultates quoque generantes
in semine fęminæ reperiuntur. Aliquis alius diceret forsan pro
defensione Ar. facultates generantes alias actiuas, alias passiuas
esse, & singulis generantibus actiuis, singulas generantes passiuas
opponi. Studiosi iudicabunt an hæc bene vel malè dicantur.

Sed non possum me hoc in loco continere, quin aliam quandam
responsionem ad argumentum Gal. ex similitudine natorum de-
„ sumptum, à Costæo excogitatam adducam. Morum vero, atque
„ effigiei (inquit) similitudo cur non ab alimento est, quod fœtui à
„ matre suggeritur? sanguis enim ille, qui ex vniuerso matris cor-
„ pore est, spiritibus, calore, vitæ eiusdem vim, cuius in matre par-
„ ticeps est, ad alendum fętum afferens, cur non in ipsum tenerri-
„ mum, tam longa, continuaque actione maternas omnes imprimat
„ notas? Qui hominis, qui plantarum mares obseruauit, habet exem-
„ pla huius potestatis, quam alimenta tenent, euidentissima. Qui fę-
„ tus enim à strumosa nutrice fuere alti, strumosos, qui ab epilepti-
„ ca epilepticos euasisse, & stirpes immutato solo priorem naturam
„ reliquisse, videre est non raro. Concedo ego, ò Costęe, quòd mares
sequantur temperamenta corporis, & clarè hoc à Gal. didici in
lib. quod an. mores, & quod temperamenta multum ab alimentis
alterentur, atque ideò alimenta possint esse in causa diuersorum in
animalibus morum, et diuersarum dispositionum præter naturam,
quæ consequuntur quorundam membrorum intemperiem. vt est

epilepsia,

epilepsia, & strumosi tumores, qui ambo affectus ab intemperie cerebri frigida proueniunt. Sed miror, quomodo ausus es putare, hanc responsionem inseruire pro soluendo argumento ex similitudine natorum desumpto: Cum iam hanc confutatam à Gal. lib. 2. de sem. cap. 1. videre potueris, & sine dubio videris. quare aut eam debebas omittere, aut euertere ea, quæ contra ipsam Galenus adduxit. Dicis ergo ex alimento magnas mutationes, & alterationes prouenire, & testimonium ex stirpibus præcipuè desumis, quæ immutato solo priorem naturam reliquisse videre est non raro. stemus quæso in hoc tuo exemplo, & videamus, quàm bene hæc responsio soluat argumentum de similitudine. An ex hoc vnquam inuenies ex alimento permutari figuram? Arbor Persica in Ægyptum translata, bonum alimentum nacta est, & esui idoneum fructum protulit, tamen figuram nunquam permutauit. Quid? triticum in lolium mutatione loci si transeat, vt aliqui asserunt ex Theoph. lib. 2. de hist. plant. 5. id contingit, quia semen tritici putrefit in tali solo, ex ipso vero putrefacto nascitur lolium; non nascitur primo triticum, deinde attracto succo illius soli, mutatur triticum in lolium, sed nascitur primo lolium. Neque, arbitror Polycletus statuam effingens humanam, simum nasum, luto, aut ceræ permittet facere; quare materia, ex qua alitur, vel etiam ex qua generatur fœtus, ei figuram non præstat, sed virtus generans. Præterea conformationes diuersæ membrorum, & variæ figuræ, quibus contingit filios, aut matribus, aut patribus similes euadere, ex figura solidorum membrorum, & compage illorum præcipuè fiunt, non tantum ex carnosis partibus, quæ circa solidas obductæ sunt, & ex sanguine materno generantur. membra vero solida non gignuntur ex menstroo sanguine, vt in secunda parte huius disputat. cap. 3. & 4. ostendam, sed ex semine. Quare præter rationem est, opinari fœminam propter multam materiam menstruam, quam præstat, reddere sibi fœtum effigie similem, similitudinesque quò ad effigiem alimenti, & materiæ temperiem sequi, vt sequuntur similitudines, quò ad mores. Sed & illud iam ex supradictis manifestum est, formantis facultatis munus esse, similem, vel dissimilem parentibus fœtum reddere. Cum ergo ex sententia Costæi variæ figuræ, & similitudines, à

materia,

materia, sanguine scilicet menstruo, procedant, relinquitur, nil aliud dici posse, quàm ipsum, dum quærit virtutem efficientem, & formantem semini fęminarum auferre, imò fęminas semine priuare, cogi posteà sanguini ipsi menstruo illam concedere. Quod quamuis à doctrina Gal. non omninò alienum sit (vt studiosi possunt videre in fine secundi cap. secundi lib. de semine) à doctrina tamen Ar. toto cœlo est remotum; sed cur Costæus facultatem formatricem concedit sanguini menstruo, ipsa vero semen fœminæ priuat? an semen fœminæ non est purior pars sanguinis? adhucque vlteriori coctione elaborata? non ne semen fœminæ est humor perfectior? spiritibus plenior? magis accommodatum instrumentum facultatis formatricis, quàm sanguis menstruus? Ita quidem esse supra monstrauimus contra Costæum cap. 7. & contra alios cap. 5.

Fęminam ergo semen generare, & verum semen, & facultate efficiente, & formante præditum, concludamus omnia iam dicta hoc vnico argumento complectentes. Si datur effectus specie idem à patre, & à matre procedens, necessarium est dari in vtrisque causam eandem specie, à qua effectus talis proueniat. Sed datur effectus à patre, & à matre idem specie procedens, qui est similitudo, quàm nati modo patris, modo matris referunt. ergo datur causa specie eadem, communis patri, & matri, à qua similitudo filiorum efficitur. Talis causa non potest esse menstruum, secundum etiam ipsos Peripateticos. ergo est semen. ergo fœmina semen generat. Semen non esset causa specie eadem in patre, & in matre, si semen patris haberet in se virtutem formatiuam, semen matris non haberet, imò semen matris hoc modo, neque semen dici posset. ergo non tantum semen patris, sed etiam semen matris facultatem formatiuam in se habet.

Verùm me abstinere etiam non possum, quin ad examen reuocem quandam rationem doctissimi Fernelij, quam existimauit ex principijs Ar. deduxisse, atque confirmasse semen fœminæ non solum materiam in generatione esse. Doctissimus ergo ille vir sic
" *7. physiol. 6. scribit. Si nobis permittetur Ar. rationem huc ac-*
" *commodare, ea certè quamuis ab aduersario petita, rem nostram*
" *omnem constituet, & quasi sepimento aliquo vallabit. Is enim*
"

naturam

" *naturam ait maris, ac fœminæ vtrumque sexum in fruticibus mi-*
" *scuisse; quod sola vis mascula (licet terra materiam ei conferat)*
" *non satis sit, quæ procreationem in stirpibus efficiat. Quod si in*
" *his, multo magis opinor, in amantibus, quæ præstantiori sunt or-*
" *dine, necessum fuerit maris, ac fęminæ vires coniungi, non idcirco*
" *dumtaxat, vt fęmina materiam suppeditet, sed vt copulatis, atque*
" *confusis amborum viribus, semen vnum ex ambobus procreationi*
" *aptum proferatur. Hoc igitur integris, absolutisque viribus prę-*
" *ditum, tanquam opifex in subiectam materiam incumbit.* Nullo certè modo hæc argumentatio Fernelij sub silentio prætereunda erat. Nam tenemur admonere studiosos, grauem illam in se errorem continere. quare non debent ei fidere. Imponit Fernel. Ar. quod voluerit in procreatione plantarum, terram materiam conferre, nihilominus naturam miscuisse in seminibus plantarum vim masculeam, & fęmineam. quasi Ar. velit plantas, quà fœminæ sunt, non materiam, nam hæc à terra tribuitur, sed vim quandam ad generationem conferre. At ne per insomnium quidem hæc Ar. in mentem venerunt. Etsi Fernel. magis diligens in legendo Ar. fuisset, talia Ar. non imposuisset. vult enim Ar. plantas, quà fœminæ sunt, non aliud, quàm materiam ad generationem tribuere, quæ in animalibus sanguini menstruo respondeat; terram vero in prima plantarum delineatione, & germinatione nullo modo materiam subministrare. Bifida sunt semina omnia plantarum (vocat Ar. binaluia) vt clarè conspicitur in castaneis, fabis, & alijs huiusmodi; in sui vero medio corpusculum quoddam continent. Iacto in terram semine, corpusculum illud, aperto in duas partes semine, crescere, & germinare incipit: adeò quod, ex illa apertura radiculam in terræ profunditatem, & cauliculum quendam versus aerem mittit. hæc accretio, & germinatio, secundum Ar. corpusculi illius, non fit ex attracto, vt Fernelius Ar. imponere videtur, ex terra humore (nam quomodo illud à terra potest attrahere. in se humorem, si nondum radices sunt factæ?) sed ex insito quodam seminibus humore, quod lacteum Ar. vocat. Radicula ex illo lacteo formata, ex terra postea nutrimentum attrahit pro perfecta generatione, & incremento plantæ. Cum ergo Fernelij

ratio fundetur super hoc, quòd terra materiam in prima procreatione plantarum de mente Ar. tribuat, patet, quam vana, & futilis remaneat. Sed ne aliquis credat ea, quæ attuli, ex mea, non ex Ar. mente, attulisse, in medium adducam loca, quæ omnem de hoc dubitationem cuique auferre poterunt. In fine primi cap. lib. de iuu. & sen: hæc leguntur. Ex seminibus enim generatio accidit omnibus ex medio. Biualuijs enim existentibus omnibus, quà coaluerunt, continetur, & medium est vtriusque particularum. Hinc enim ramusculus oritur, & radix nascentium. Principium autem medium horum est. Circa medium quarti cap. secundi de gen. an. ista alia scripta reperiuntur. Sed dubitaueris cum primum cor oriatur sanguine præditum, sanguis autem sit alimentum, quod extrinsecus venit, vnde nam primum alimentum subierit? An id verum non dicitur (nota) alimentum omne esse extrinsecus? Sed protinus, vt in plantarum seminibus, inest aliquid tale primum, quod lacteum vocatur, sic in animalium materia, excrementum constitutionis alimentum est. Audi etiam quid scribat Ar. vltimo cap. primi de gen. an. Ouum enim conceptus est, & animal ex parte eius creatur; reliquum alimentum est animalis: seminis etiam aliqua ex parte consistit, quod oritur. reliquum alimentum (nota) germini, radicique primæ est. quam eandem auctoritatem adducam infra in secunda parte cap. 5. ad quod, pro magis detegenda fallacia rationis Fernelij hic adductæ, rogo studiosos, vt confugiant.

Qui-

Quibusdam obseruationibus ostenditur in fœminæ semine facultatem formatricem contineri. Quæ sit facultas formatrix. Cap. XVII.

VErùm pro coronide huius partis in medium afferamus quasdam obseruationes, quæ nobis manifestent virtute quadam formatrice fœminam in generatione fœtus concurrere. Deinde inuestigemus modum, secundum quem potest tali virtute ad generationem concurrere. Nam inuento hoc modo, spero non inualidum argumentum colligemus ad ostendendum fœminæ semen insitam facultatem formatricem habere.

Legitur apud Heliodorum, Hidaspem Regem Æthiopiæ cum Regina Persina coiuisse in cubiculo, in quo inter diuersas virorum, & mulierum albarum imagines, Andromedæ, & Persæi imago depicta erat. Reginæ ergo inter coeundum tantopere Andromeda placuit, vt grauida facta, pepererit puellam Carichiam appellatam imagini Andromedæ similem. Ferunt Quintilianum, & Alciatum ab infamia adulterij mulierem vindicasse, quæ puellam nigram pepererat, cum & ipsa, & maritus albi essent, pro defensione illius afferendo, quod in cubiculo imaginem Æthiopis haberet. Refert Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 11. quandam vetulam ei narrasse hominem opulentum quidem, sed deformem extitisse, qui cum affectaret pulchrum sibi filium procreare, formosum in ampla tabula puerum depinxit. Inde vxori congrediens præcepit, vt è regione positam imaginem diligenter consideraret. Illa vero attentè respiciens, & totum animum illuc conijciens (erat enim pulchra valde ea figura) puerum peperit non patri, sed picturæ similem. Iacob in Sacris litteris, cum volebat vt oues agnos albos ederent, ramos arborum à cortice denudabat, vt albi essent, deinde eos ponebat in aquis, quas oues potabant. cum volebat vt fœtus varios ederent, ponebat in aquis ramos virides, ramosque virides, & albos miscebat. Hic autem

modus à Iacob obseruatus à D. Augustino in lib. 12. de ciu. Dei cap. 25. pro naturali habetur. Narrat Io. Baptista Porta in suo lib. de Magia Naturali, si bene recordor, Gallinam indicam peperisse oua, & ea cubasse in quodam loco, in quo è directo quosdam montes niue refertos conspiciebat, atque ex continua illa inspectione pullos omnes albos ortos fuisse. Quo exemplo docet modum, quo poßumus procurare, vt gallinæ, columbi, & cæteræ aues domesticæ diuersi coloris nascantur. Quæ autem narrat Porta, leguntur quoque apud doctissimum Fernelium lib. 7. physiol. cap. 12.

Hanc, vel illam effigiem fetui imprimere, non ne attinet ad aliquam virtutem efficientem, & efformantem? Manifestum ergo est per historias adductas de necessitate in feminis virtutem huiusmodi reperiri. At si quæras, qualis sit ista virtus, quæ in fœminis existens, potest varias conceptas imagines, & effigies fetui imprimere? Respondent communiter eam esse imaginationem, & probant hoc à simili. Experimur si grauida mulier alicuius cibi desiderio flagret, neque eo potiatur, fœtui illius cibi notam in aliqua parte inuri. Sicuti ergo mulieris imaginatio valet post formatum in vtero fœtum, & aliquantisper induratum, imaginem aliquam in se comprehensam illi insculpere, ita dicunt vel facilius potest, dum conceptus adhuc formam seminis retinet, tenerrimusque proinde est, varias in illo effigies imprimere. Vnde etiam si quæras modum, secundum quem imaginatio potest iuxta vehementem comprehensam imaginem, vel coloris speciem, fœtum in prima conformatione, & delineatione effingere. dicunt illum eundem esse, secundum quem post formatum fœtum, alicuius cibi vehementer desiderati figuram illi imprimit. Quidquid dicat Hyeronimus Fracastorius lib. de symp. & antip. cap. 23. ex Auic. 5. lib. de an. & ex Buccaferreo in lib. Ar. de mot. an. & communiter ex alijs doctissimis Philosophis elicitur hoc.

Quod dum grauida vehementer aliquam rem appetit, assiduo in animo speciem illius rei reuoluit, vnde illa in spiritibus animalibus fortiter imprimitur. Appetitus vero mouens hos spiritus impreßam speciem illam habentes, illos cum reliquis spiritibus & sanguine permiscet; sanguis attractus simul cum spiritibus ad vterum pro nutritione fetus, parti, cui in alimentum cedit, spe-

tiem, quæ fuit illi impreßa, communicat. Dicere ergo ex his principijs philosophorum possumus. Quod dum mulier vehementer animo concipit inter coeundum alicuius viri, vel mulieris effigiem, species illius effigiei in spiritibus fortiter imprimatur, moti vero spiritus ad vasa spermatica, & in se retinentes illam speciem, cum semine commisceantur, ipsamque semini imprimant, & per consequens ipsi embryoni. & eò magis, si inter formandum embryonem, mulier asiduè in imaginatione speciem illam reuoluat. Sic enim renouatur impresio in spiritibus, & in embryone.

Consentit hæc speculatio cum Ar. doctrina in problem. tradita (si tamen illorum omnium auctor fuit Ar.) si quidem in 10. partit. problem. problem. 10. hæc leguntur. Cur proles cæterorum animantium magis, quam hominis, suis parentibus similem gerit naturam? An quod homo vago, varioque plurimum animo in coitu est? pro vt autem pater, & mater in conceptu affecti fuerunt, ita partus euariant? Cætera vero animantia, aut certè plurima rei tantum ipsi intendunt, totaque se veneri dedunt. In quorum interpretatione Petrus Aponensis per similitudinem secundum naturam, dicit, quod non solum potest intelligi similitudo quantum ad internas animi affectiones, & mores ipsos, verum etiam quantum ad accidentia extrinseca, quantum scilicet ad effigiem, & externarum partium figurationem. Patet ergo, quod si volumus reddere rationem de ijs, quæ olim obseruata fuerunt, & in dies obseruantur, neceßario debemus fateri, in fęminis reperiri virtutem aliquam actiuam, & hanc concurrere ad fętus efformandos.

Tantum equidem potuit hæc ratio apud multos celeberrimos viros, vt existimauerint similitudinem natorum perpetuo ab imaginatione fieri.

Sed alias obseruationes in medium afferamus. Obseruamus quasdam mulieres similes sibi filios procreare, cum tamen ipsæ ne minimum quidem desiderium filios illos sibi similes pariendi habuerint. Similiter aliqua procreabit filium non sibi similem, sed alicui ex suis maioribus, quem nunquam agnouit, vel alteri extra cognationem. Vnde legimus apud Ar. 7.

de hist. an. 6. & primo de gen. an. 18. in Sicilia mulierem, quæ ad vlterium cum Æthiope commiserat, filiam generasse albam, & hanc deinde non album, sed nigrum filium peperiße. Tertiò brutorum fęminæ non in speculis se inspiciunt, & tamen sæpissimè fętus sibi similes edunt. In his tribus casibus non possumus confugere ad imaginationem, & illorum causam in ipsam referre, vt manifestum est. Quid igitur? dicemus ne requiri virtutem aliquam efficientem, & actiuam in mulieribus, si volumus reddere rationem, cur illæ fętui speciem cibi desiderati insculpant, & cur ob vehementer in imaginutione conceptam alicuius pulchri infantis imaginem, in embryone illam imprimere valeant; non tamen in illis virtutem actiuam requiri, cum nullo præcedente desiderio, vel propriæ imaginis prægressa inspectione, filios ad sui similitudinem, vel etiam ad similitudinem suorum maiorum, de facie ignotorum effingunt? Non credo hoc aliquis imaginabitur. Impressio fit semper à virtute imprimente. Talis virtus est actiua, non passiua. Impressiones in casibus iam enarratis à virtute semini maris insita non possunt fieri, vt superiori cap. contra Ar. & Auer. ostensum est. non ab imaginatione fęminæ, vt clarum est, quid igitur dicendum est? Ego cum doctissimo Laurentio, impressionum omnium, quæ circa fœtus contingunt duplicem in fęminis, vt etiam in maribus causam cognoscere sum coactus. alteram ordinariam, quę perpetuo agit, nisi impediatur; & hæc est facultas formatrix semini insita; alteram extraordinariam, quæ non semper ad generationem concurrit, sed extrinsecus aduenit, & hæc est imaginatio, vel cognoscens superior facultas. Prior virtus, cum singularum partium nostri corporis ideam in se contineat, si libere agat, & in toto formationis tempore à nullo impediatur, iuxta vim suam perpetuo fœtum effinget. Vnde non est mirum, si mulieres procreant filios sibi similes, nullo hoc faciendi desiderio prę-gresso, nullaque præcedente cogitatione; & similes non sibi, sed maioribus suis, cum illos tamen non agnouerint; & brutorum fœminæ prolem sæpissimè sibi similem edant. Hanc ordinariam vim solam agnouit Ar. 4. de gen. an. 1. & in germanis suis lib. & solum in semine maris, non autem fęminæ. Verum si primo conformationis tempore, formatrix hæc facultas ab imaginatione, vel co-

gitatio-

gitatione impediatur, non illius, sed huius fiet impressio, & iuxta hanc fœtus figurabitur. Vnde fit, vt à nigra, & deformi matre, albus, & pulcher fœtus, & ab alba, & pulchra, niger, & deformis procreetur, & contingant omnia ea, quæ de ouibus Iacob, & gallinis narrata sunt. Hanc virtutem extraordinariam agnouit auctor Problematum (siue fuerit Ar. vel quiuis alius) loco citato. Sed illud ego noto. Quòd quamuis agnouerim, tam in fœminis, quàm in maribus duplicem impressionum, et similitudinis filiorum causam, alteram ordinariam, alteram extraordinariam. Attamen extraordinaria in fœminis est efficacissima, in maribus imbecillima. Marium enim imaginatio parum confert ad tribuendas similitudines, & impressiones faciendas. Vnde vir ille opulentus, de quo Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem, curauit, vt vxor intente inspiceret imaginem pulchram. neque in historijs legimus solam imaginationem marium fuisse in causa alicuius impressionis. Sed tamen aliquid & ipsa conferre potest, eo modo, quem supra in fœminis declaraui, nempè spiritus impressos specie alicuius rei mouendo ad vasa seminalia maris: vnde semen plenum illis spiritibus in embryone speciem illam aliquatenus posse imprimere negandum mihi non videtur: præcipuè vero si diligenter perpendo allatam auctoritatem Ar. in probl. & interpretationem Petri Aponensis. Non enim solum de imaginatione matris, sed etiam patris mentionem faciunt. Hoc tamen ad arbitrium studiosorum relinquo. Quo circa statuo extraordinariam causam impressionum marium coadiuuare quidem posse extraordinariam fœminarum, dum mas, & fęmina in imaginatione alicuius rei consentiunt; sed de se nil posse imprimere, fęminarũ extraordinariam de se solam impressionum causam esse. Vide modo si fœmina ad generationem concurrat actiuè. Vide quomodo ex habito discursu cogimur in fęminæ semine vim insitam efficientem, & formantem concedere. Sed exoptabit quis scire cur extraordinaria impressionum causa in fęminis est efficacissima? quia fęmina in suis imaginationibus est vehementissima, & totam illis se dat. Secundo quia non solum imprimit in semine mediantibus spiritibus conceptam speciem, verum etiam in sanguine, qui in nutrimentum fętus distribuitur. Vnde multoties impressio renouatur in

sanguine,

sanguine, & diu in illo conseruatur. Nil ergo mirum, si fœminarum sola imaginatio valeat imprimere.

Tandem desiderabit quis ex me intelligere, quæ nam verè sit hæc facultas formatrix semini insidens. Arist. ut supra visum est cap. 12. existimauit eam esse facultatem spectantem ad animã Vegetalem. Galenus sexcentis in locis hoc idem fassus est. Sed tandem in libello de fœt. format. cap. vltimo, admirabili illo cap. confessus est, se de ea ambigere. non posse vero adduci, vt existimet ad Vegetalem attinere, cum summam videre liceat in fœtuum formatione, illius potentiam, & sapientiam. Vegetalis vero; non modo sapiens non sit, verum omni prorsus ratione careat. Vnde hoc solum se habere, quod de illa pronuntiet, summam artem, & summam sapientiam illi inesse. Auic. virtutem formatricem statuit esse intelligentiam decimi ordinis, & illam Calcodeam appellauit. Alij aliter opinati sunt. Doctissimus Fernelius 7. physiol. 4. in animalibus perfectis per triplex genus canalium ad testes peruenientium venam, arteriam, neruum, triplex spirituum, & facultatum genus contribui semini existimauit. per venas, spiritus naturales simul cum facultate naturali à iecore. per arterias, spiritus vitales cum vitali à corde. per neruos, spiritus animales cum animali à cerebro. Statuitque præterea mediantibus his canalibus, ab omnibus corporis particulis non nihil spiritus, & facultatis de repente eidem semini communicari, idque valida agitatione corporis, & perturbatione, quæ in ipso coitu fit. Quod ex eo probat. quia titillatio vehemens tunc corpus vniuersum eximia voluptate afficit. quod argumentum ferè coincidit cum argumento Antiquorum, de quo Ar. primo de gen. an. 17. Ex his concludit spiritum generantem, si quis in nobis spiritus est, qui generans dici mereatur, nil aliud esse, quàm coniunctionem, & confusionem quandam omnium illorum spirituum. Colligere ergo de illius mente possumus, generantem quoque facultatem in animalibus perfectis, nil aliud esse, quàm aggregatum quoddam (vt ita dicam) facultatum, quæ ex vniuerso corpore, maxime vero ex partibus principibus iecore, corde, cerebro cum spiritibus confluunt, easque omnes semini insidere, tanquam procreationis magistras, & opifices. Cæterum putat si quis contentione velit generan-

neran.

nerantem facultatem, & spiritum à testibus ipsis procedere; hunc que in illis ex multorum congressu simplicem esse factum, vix fortaße posse rationibus conuinci. Quod idem de facultate generante dicendum est. Fauet Alex. Aphrod. siue Trallianus Fernelio primo probl. probl. 28. Scribit ibi Alex. Cur plerique stulti liberos prudentissimos procrearunt, & contra multi valde prudentes, stolidissimos? quod homines stultiores cum concumbunt, totos libidini se se dedunt, itaque animo penitus in corporis concreationem demerso, astrictoque tantum rei venereæ, semen vires optimas, tum rationales, tum naturales adeptum perfluit, creatque proinde hominem prudentiorem. At homines prudentes, & docti semper aliquid vel honesti, vel vtilis animo complectuntur, nec in ipso quidem venereo coitu omnino à rerum studio desistunt. itaque animo remissiori profluens semen, expers longè facultatis illius animalis incumbit.

Hinc etiam deduci ratio potest, cur homines stulti, atque indocti filios robustos maximè procreant, prudentes, & docti, imbecillos. Quamuis autem in semine animalium, & naturalem, & vitalem, & animalem Fernel. & Alex. reponant, tanquam generationis opifices, & magistras. attamen ita ego illos interpretor, vt vitalis, & animalis non forment, sed hæc actio solius naturalis virtutis propria sit. Adeò quod, naturalis in semine residens formet membra, sed directa à virtute aliqua cognoscente, & prudentia plena, & ab ipsa prima causa mediante cęlo; (vt ob id Ar. dixerit solem, & hominem generare hominem, Gal. dubitauerit, Auic. Calcodeam intelligentiam introduxerit) nec non ex ipsis facultates naturales traducat. vitalis facultas vitam fœtui inspiret. Animalis sentientem, & motiuam tribuat.

Hinc si debiles in semine sint hæ facultates, iuxta facultatem, quæ debilis in illo est, fœtus debilis oritur, vt dicit Alex. Hoc modo possunt hi authores statuere has facultates semini animalium insidere tanquam generationis magistras, & opifices. Ex his vero, quæ dicta sunt de semine animalium, patet quid dicendum sit de facultate insita seminibus plantarum. Mihi vero sufficiat de facultate formatrice ea determinaße, quæ ad meum propositum con-

ducere videbantur, atque aliorum sententias de essentia illius attu-lisse, atque in probabilem sensum traxisse. Cæterum relinquo, vt de ipsa tanquam re abstrusissima, suo arbitratu vnusquisq; iudicium faciat, & me confero ad quædam valde ingeniosa expendenda.

Doctissimus, & facundissimus Fernel. in secundo de abditis rer. cau. cap. 3. sic scribit. Ea certè (imaginatio. scilicet) potest tenello fętui colorem, vel figuram partis immutare, & signa quædam, & quasi inusta imprimere. Cæterum totius formæ substantiam, aut vniuersam corporis conformationem, nulla potest animi quantumuis fixa, atque intenta in aliquam rem cogitatio præstare. Quæ enim tam acris, & tam vehemens est rerum cogitatio, quæ visa tam altè insculpta sunt in animo, atque impreßa, vt possint sexus speciem mutare? Optarent quidem mulieres id sibi priuilegium ferri, eßeque in sua potestate situm, vt quoties marem comprehenderent, eundem etiam gignerent. Sed quæ conceperit, si forte procerum quempiam, & liberali specie virum, si mancum, si claudum, si canino capite, si caudatum, si execto naso, aut sine intestinis, acri, intentoque animo intuebitur, talem ne obsecro oportet illius fœtum euadere? Dum porrò fœtus partes singulę finguntur, eas ne mulier sigillatim animo, & cogitatione lustrat, ac veluti pertractat? Aut cum in ouo sensim pullus coagmentatur gallina ne incumbans, in partes singulas eo, quo finguntur ordine cogitationem defigit? Ita ne necessarium fuerit, non modo mulieres, sed & omnes tum auium, tum reliquorum animantium fœminas gnaras eße, & peritas anatomes, & nouiße quo quęque pars ordine fingatur? Nulla anus tam delira est, vt hoc existimet. Ergo tametsi ea vis animi, quæ fingit, notis quibusdam variare, ac veluti distinguere fętus colorem, aut formam potest, nequaquã tamen potest eas conformare: neque id in parentibus est positum, vt qualem volent fętum edant, sed id diuinitus accipi consentaneum est.

Ingeniosè equidem excogitata hæc sunt, & faciunt contra iam à nobis declarata, & stabilita. Ingenium ergo & nos parum acuamus, postquam ab vllo ea animaduersa hucusque fuisse non vidimus, & exploremus, an quemadmodum ingeniosa

sunt,

sunt, ita cum veritate consentiant. à redargutione autem vltimæ rationis incipiamus.

In brutis principium omnis localis motionis est imaginatio. vt docuit Ar. 3. de an. à tex. 48. & communiter philosophi. Videant studiosi Piccolomineum in lib. de motu an. At instrumenta motus musculi sunt.

Dum igitur equus mouetur ad herbam, imaginatio est causa, vt moueantur omnes musculi, et anteriorum, et posteriorum crurum. Cum opus est mouere collum equi, imaginatio musculos ei motioni deputatos ad motum impellit. Denique vbi membrum aliquod qualibet motione mouere voluerit, illud statim mouet. Dum imaginatio harum partium motiones instituit, ipsam musculos omnes illis motionibus dicatos perlustrare, & pertractare non est necesse. Si hoc esset, oporteret certissimè equos anatomes musculorum gnaros eße; Cum tamen non solum equi, sed ne homines quidem, qui optimè dissectiones corporum non calleant, cognoscant, qui musculi quibus motionibus præpositi sint, quamuis ad quas volunt motiones eis vtantur. Sicuti ergo imaginatio potest esse causa, vt aliqui determinati musculi moueantur, cum tamen non agnoscat illorum singulorum vsus, quid opus est, vt inquit Fernel. dum fætus partes singulæ finguntur, vt eas mulier sigillatim animo, & cogitatione lustret, ac veluti pertractet? Non ne possunt partes fætus ad imaginationes arbitrium conformari, & tamen illam ne minimam quidem earum cognitionem habere? Quia modum ignoras doctißime, & facundißime vir, secundum quem præcisè imaginatio posit esse causa conformationis partium corporis, vis negare, quod est per experientiam notum, ipsam aliquãdo particularis conformationis illarum causam esse? Quia ignoras modum, secundum quem præcisè aliquis effectus ab aliqua causa proueniat, vis negare illum effectum à tali causa prouenire? An quia ignoras modum, secundum quem præcisè imaginatio est causa motionis musculorum, negabis illam causam eße eorum motus?

Dicis; quæ nam tam acris, & tam vehemens est rerum cogitatio, quæ visa tam altè insculpta sunt in animo, atque impressa, vt posint sexus speciem mutare? Ex hist. Gal. & Heliodori ceßat hæc admiratio. In prima enim ex inspectione fixa figuræ mascu-

li, masculum fuiße genitum, in altera ex inspectione intenta figuræ fœminæ, fœminam fuiße procreatam apparet.

Subiungis. optarent quidem mulieres id sibi priuilegium ferri etc. Certè hoc est priuilegium paucarum, et posuimus etiam hoc hoc esse extraordinarium, non ordinarium: si mulieris imaginatio alicuius particularis conformationis debet eße causa, oportet, vt mulier ea præ alijs sit vehementis, fixæ, et constantis imaginationis, hoc autem non ex alio, quàm ex tali temperamento illius prouenire potest; at raræ huius temperamenti inueniuntur.

Videmus mulieres diuersas res tempore gestationis vteri appetere, et pauperes præsertim desideratis ferè semper frustari, et tamen paucæ sunt, quæ rei desideratæ fętui notam insculpant. Cur ergo non eadem erit ratio et de conformatione, vt aliquarum imaginatio possit esse causa illius, aliquarum vero non?

Iudicent studiosi an hæc, quę ex Fernel. attulimus, à Doctissimo Laurentio omittenda fuerant.



Soluun-

Soluuntur rationes Peripateticorum, quibus contendebant probare fęminam semen non generare. Cap. XVIII.

TEmpus modo est respondendi argumentis, quæ à Peripat. vt ostenderent fęminā semen nō generare, excogitata fuerunt. Erat primum argumentum quod si fœmina semen generaret, in conceptione præcipuè illud intra se emitteret. Tamen multæ mulieres fassæ sunt Ar. et vicina Auer. iurauit, se sine vlla voluptate, et emissione concepisse. Dixi supra cap. 8. me aliquot mulieres interrogasse, quæ mihi retulerunt, se in conceptione extraordinaria voluptate perfusas fuisse, et ex hac extraordinaria voluptate semper deinceps coniecisse tempus, in quo semen conceperant. Modo dico, si aliquæ sunt, quæ sine voluptate concipiant, vt aliquas esse haud nego, id contingere, vt loco citato dixi, ob morbosam aliquam genitalium fœminarum affectionem. Scribebat Ar. 2. de gen. an. 4. magna ex parte accidere, vt cum pro fusione feminæ agatur, in qua (inquit) voluptas et mari, et fęminæ contingere solet. At ex primo de gen. an. 19. quæ magna ex parte fiunt, ea maxime secundum naturam sunt: quibus auctoritatibus vsus etiam fui in supramemorato capite. Præter naturam ergo dicendum est, quod fœminæ non profundant, et voluptatem non sentiant, et morbidum, ut ipse dicit, est. Secundum naturam vero erit, quod profundant, et voluptatem percipiant. At argumenta ex ijs, quæ naturaliter eueniunt desumenda sunt. Neque ex eo, quod voluptatem in conceptione non persentiant, licet arguere, quod semen ex vasis deferentibus in cauitatem vteri non emittant. Si quidem necesse est vtriusque sexus semen in conceptu misceri ex Gal. 14. de vsu par. 7. et ex Hipp. 1. de diæta, et de nat. pueri, et de genit. Emittunt ergo semen in conceptione, sed ob affectionem partium, per quas semen transit, morbosam, uoluptatem non persentiunt. vt supra cumulatius cap. 8. declaratum est. et ob id credunt non emisisse.

Ad

Ad id vero, quòd narrat Auer. de ſua vicina, aliqui reſpondent accuſando muliebrem ſexum, vt mendacem, & teſtem adducunt Ar. lib. 9. de hiſt. an. primo, quo in loco ſcribit mulieres ſua natura eſſe mendaces. Ex quo apud Græcos illud extat adagium muliere iurante ridet Cœlum. Ego vero ſexum muliebrem ita accuſari moleſtè fero. Et quemadmodum inter viros aliqui ſunt veraces, aliqui mendaces. Ita ego audacter affirmo inter mulieres, alias eſſe veraces, alias eſſe mendaces. Si quæ vero ſunt ex veracibus, quæ dulcedinem nolint confiteri, id venire ex verecundia, et pudore illarum pro certo habeo. Sed aſtutiſsimam, turpiſsimam, mendaciſsimam meretricem vicinam Auer. fuiſſe iudico. quæ callido inuento mendacio, Auer. infamiam ſuam celare voluerit. Verum etiam, atque etiam de ipſo Auer. mirandum eſt, quod ita credulus fuerit, vt præ credulitate penitus immemor euaſerit. An immemor es ò Auer. eorum, quæ amantiſsimus præceptor tuus Ar. in 2. de gen. an. 2. & 3. de hiſt. an. vltimo ſcriptis mandauit? Semen eſſe aereum, ſpumoſum, aerique expoſitum liqueſcere, acqueſcere, & infecundum reddi? Sed & in primo de gen. an. 6. ſcribit Ar. animalia, quę penem habent oblongum, infœcundiora eſſe ijs, quæ mediocrem habent, quod ob viæ longitudinem ſemen refrigeretur. Semen enim frigidum infęcundum eſſe. Si ergo in proprio conceptaculo ſemen refrigeratur, multo magis in aerem, & aquam effuſum, & multo magis, ſi per aliquod temporis ſpatium in aqua moram traxerit? Quis enim credat illam tuam vicinam ſubito poſt ſpermatizationem prauorum hominum balneum ingreſſam fuiſſe, & ſic concepiſſe? Sed dicam melius. quis non potius credat ſimul cum eis balneum ingreſſam fuiſſe? Hoc parum eſt. Adeò Auer. ob verba illius bonæ meretricis immemor euaſit, vt eorum, quæ ipſe ſcripta reliquit, oblitus fuerit. Videant Studioſi quid in com. ſuper caput 2. ſecundi de gen. an. ſcribat. Conſentit enim penitus cum Ar. imò adducit verba eadem cap. vlt. tertij de hiſt. an. Sed peius illud eſt, quod in illo eodem cap. in quo hiſt: de illa infamiſsima meretrice narrat, docet, ſi ſemen aerem attingat, (non ſi diutius in eo remaneat) corrumpi illius complexionem. Pereamni verba propria illius tranſcribam.

,, *Et ſi tu*
,, *quæreres (inquit) vtrum vulua habeat virtutem immutatiuam,*

hoc

,, *hoc indiget speculatione. quia non potest dici, quod vulua facit*
,, *membra embryonis, sed virtus informatiua ipsa facit cum calore*
,, *fixo in spermate. ergo virtus immutatiua, quæ est in vulua, non est*
,, *nisi loco conseruationis: & ideò cũ attingit sperma aer, corrumpit*
,, *complexionem eius, & per hanc viam potest intelligi, quod virtus*
immutatiua est in vulua. Si ergo corrumpitur seminis complexio, cum aerem attingit, quomodo amißa propria complexione ad conceptum aptum erit? quomodo ò Ar. vicina tua concepit semen, quod in balneo per aliquod temporis spacium remanserat? Valeat ergo Auer. cum sua illa solemni meretrice. Valeat primum Peripatet. Argumentum.

Erat secundum Argumentum. Quod si fęmina semen generaret, poßet de se absque mare concipere. Syluaticus contr. 79. admodum sicco (vt aiunt) pede hoc argumentum pertransit. Valesius autem secundo contr. victus hoc argumento, concedit fęminam de se posse concipere, sed conceptum alere, & ad perfectionem deducere non posse. Sed si verum esset, quod concedat Vales. nimium frequentes obseruarentur virginum abortus, sed nullus illarum visitur. Quodsi aliquando molæ in mulieribus fiunt, tale quippiam contigisse in ijs, quæ viro caruerunt non est obseruatum. Vnde molæ proportione non respondent ouis subuentaneis. Nam hæc absque mare generantur, illæ vero generari non possunt, vt & experientia, & Gal. ipse 14. de vsu partium cap. 7. docet. Quod si molæ poßent absque mare generari, proportione ouis subuentaneis responderent. Mirandum ergo de Valesio, qui cum legerit Gal. loco citato, tamen affirmauerit mulieres de se molas poße generare. Quo circa respondeo ego inhærendo ijs, quæ supra cap. 14. adduxi. Quod etiam si fęminæ semen, & materialem, & efficientem in se facultatem habeat, non potest tamen absque mixtione seminis maris conceptum instituere. Nam facultas efficiens illi insidens, est agens minus principale, imperfectius, neque tantum caloris fęminæ semen habet, quantum ad talem actionem requiritur. Ad aliquam autem actionem obeundam de necesſitate opus est agente verè principali, & sufficiente instrumento.

Ad tertium argumentum de proiectione humiditatis, quæ fit à vulua in coitu, & tractione ad se seminis maris, dico. quod, quando

do vulua emittit extra se suum semen, non attrahit etiam virile, & tunc insuper non fit conceptio. Sed quando attrahit viri semen, proprium etiam in se retinet, neque extra effundit. & tunc fit conceptio. si nullum aliud impediat. Quare, quando vides extra vuluam semen effluere. Signum est, vuluam tunc maris semen non concepisse. Non ergo verum est id, quod assumebatur in argumento, vuluam suum semen extra emittere, & alienum attrahere. Quando enim suum emittit, alienum etiam non attrahit. Sed hoc modo suum in conceptione emittit. Nam illud ex vasis deferentibus emittit in cauitatem suam, at illuc etiam maris semen attrahit. differt ergo extra emittere, & in cauitatem emittere. Si enim dum vulua concipit maris semen, proprium extra emitteret, sequeretur quod ipsum ad generationem non faceret, at non extra, sed intra emittit. ergo ad generationem facit.

Ad quartum desumptum ex duplici euacuatione. Respondeo prouenire illas duas euacuationes contrarias in fœminis ex diuersarum partium temperamento. Habent enim humoris incocti euacuationem, quia habitus totius frigidus est. vnde multum sanguinis incocti redundat. Scribebat Ar. 2. de gen. an. 4. Cum enim
" *natura concoquere nequeat, excrementum fiat necesse est, non so-*
" *lum alimenti inutilis, sed etiam in venis, (nota) & per tenuissimas*
" *venas exudando exuperet. Habent humoris cocti euacuationem, quia seminalia vasa, & testes habitu totius in fęmina ob maiorem ad illas partes, quàm ad alias spirituum concursum, calidiores sunt. Non inconuenit autem me iudice, si fęmina secundum varias partes, varias excretiones habeat, & varij sit temperamenti. Ex his etiam duabus euacuationibus, altera humoris crudi, altera humoris cocti, non est arguendum fęminam esse calidi, & frigidi simul temperamenti, quò ad totius temperamentum. Nam humor ille coctus, dicitur talis, respectu alterius humoris crudi, non autem respectu humoris, qui à mare secernitur. nam huius respectu dicitur, & ipse frigidus, & penè incoctus. Fœmina ergo secundum temperamentum vniuersi corporis est temperamenti frigidi, cum hoc tamen stat, quod habeat testes habitu corporis calidiores, & sic in illis generetur humor magis perfectus, & coctus, quàm in reliquo corpore.*

Omninò non potest fœmina habere euacuationem humoris crudi, & humoris exactissimè cocti. At semen fœminarum non est exactissimè coctum. Unde non præsupponit excellentem calorem, & talem, qualis in mare reperitur. Non sequitur ergo, quòd fœmina sit simul temperamenti frigidi, & calidi. Sed & hoc accipiant Peripat. Videtur ne illis absurdum fœminas perfectorum animalium duabus gaudere euacuationibus? conspiciant clarè duas in feminis ouiparis euacuationes. quarum vna stat loco seminis, altera loco menstrui. Ouum constat ex duabus partibus, vitello, & albumine. Docet Ar. 6 de hist. 3. & 3. de gen. an. 2. & 4. cap. 4. pullum generari ex albumine, nutriri vero ex vitello. ergo vitellum stat loco menstrui; quia fetus in vtero, quoad perfectè formetur, menstruo nutritur, et pullus, quoad perfectè effingatur, vitello. Albumen vero est loco seminis. Ostendā enim in 2. parte huius disput. cap. 4. et 6. partes, quæ sunt fundamēta nostri corporis, ex semine generari: at partes pulli per Ar. locis citatis ex albumine generantur. Sed de hoc in fine sequentis cap. studiosi plura legent. Non accusent ergo Peripat. duas in feminis perfectorum animalium euacuationes.

Ad quintum in quo dicebatur vnius rei vnicā materiam, vnicum agens esse, dico. quod semina maris, et feminæ mutua substantiæ familiaritate, et amicitia se copulant, et prorsus confunduntur in conceptione, non autem separatim agunt. atque propterea ex vtrisque commune motus principium fit, atque communis vnica materia, pro totius animalis procreatione. Quod si aliter eßet, ad vnius animalis generationem conspirare non poßent. Omnino si semen feminæ motus principium habet, eiusdem cum maris semine motus principium habet, ex Gal. 14. de vsu part. 7. facultates seminis maris, et feminæ sunt eiusdem speciei; miscetur uero feminæ semen cum maris semine, vt perficiatur. imperfectius est enim motus principium in semine feminæ contentum, perficitur vero motus principio seminis maris illi superueniente; ac tum demum ex vtrisque principijs vnicum agens fit, in vnumque motum utraque principia conspirant.

Ad sextum puerulorū, et feminarū non eadem est ratio. Illis siquidē non supersunt reliquiæ laudabilis sanguinis, ex quibus semē

gigni queat. quia portio ſanguinis in nutritionem, altera in incrementum abſumitur. His copioſus ſanguis ſuperfluit, è quo ſemen gignitur.

Ad ſeptimum, fœminam naturæ defectum eſſe abſolutè, neſcio quomodo dici poſſit. Nam cum ſecundum Ar. in primo de gen. an. 2. & lib. 2. cap. 1. & 4. cap. 1. mas, & fœmina principia generationis ſint. Si generatio futura eſt, natura de fœmina, æquè, ac de mare, ſollicita eſſe debet. Imò cum maior numerus fœminarum, quam marium appareat, audiui quendam Excellentiſſimum virum colligere, naturam magis de fœmina, quam de mare ſollicitam eſſe. at ſi intimius res conſideretur, non hoc, ex hac conſideratione deduci poteſt. Sed bene, æquè de fœmina, ac de mare naturam curam habere. quod certè nobis ſufficit. Natura enim conſeruationi intendit ſpecierum, at vnicus mas ſufficit pro implēdis multis feminis, quare plures fœminæ, quàm mares requiruntur. Dicendum ergo eſt. fœminam eſſe imperfectiorem mare. licet enim ſemen generet, quia tamen non tam perfectum, vt mas generat, vt dictum eſt cap. 14. non ſequitur vt eiuſdem, ac mas ſit perfectionis.

Ad ſignum quod octauo loco afferunt. Dico quod verum eſt mulieres non poſſe concipere, antequam menſtrua illis erumpere incipiant, & poſtquam ceſſarunt. At hoc non ob vnum menſtruorum defectum contingit, verum etiam ob defectum ſeminis. nam antequam menſtrua appareant, vt dixi de puerulis, ſanguine laudabili non abundant, pro ſemine gignendo. vt qui in incrementum abſumitur. Poſtquam vero menſtrua ceſſarunt, tanta copia ſanguinis non generatur ob debilitatum calorem, vt & pro altione, & generatione ſeminis ſufficere poſſit. Vel ſi generatur ſemen, vt experimur generari in quibuſdam vetulis luxurioſis, ob calorem imbecillum redditum minimè fœcundum eſt. Idem de ijs, quæ menſtruis carent dicendum eſt. Carent enim hę ſanguine depurato. quare infęcundum eſt earum ſemen.

Ad confirmationem dico. quod quo tempore incipiunt innoteſcere menſtrua in fœminis, eo etiam tempore incipiunt generare ſemen. Non ſequitur ergo, vt quod in maribus eſt ſemen, in fęminis ſit menſtruum. Valeant ergo Ar. & ſectatorū rationes.

Redditur ratio secundum iam stabilita principia de multis, quæ quæri solent circa fœtus generationem. Cap. XIX.

SVperest tandem, vt iuxta ea, quæ primo cap. proposui, rationem reddam de ijs, quæ circa fœtus generationem contingunt. Quæritur ergo. quare inter fœtus alij mares, alij fœminæ nascantur. Hic non recensebo Antiquorum opiniones. Nam studiosi eas præcipuè apud Ar. 4. de gen. an. 1. possunt videre, sed solum opinionem Ar. & meam adducam. Responsio ergo ad hoc quesitum, secundum expositionem Auer. potest ex Ar. loco citato colligi talis. Quando calor seminis maris superat menstruum fœminæ, & ei calorem tribuit æqualem calori, qui naturaliter reperitur in cordibus marium, tunc facultas seminis maris educit ex illo formam maris, & ex ipso membra conuenientia huic formæ generat, testes, penem. Quando vero menstruum non superat, & tribuit ille calorem minorem eo, qui in cordibus marium reperitur; tunc semen non agit pro sua forma, sed educit è menstruo formam mari contrariam, quæ est forma feminæ, & vt ita dicam femeneitas, & generat ex ipso membra huic formæ conuenientia vterum precipuè. Hæc ita declarantur. Quando semen tribuit menstruo calorem æqualem calori naturaliter reperto in cordibus marium, generat ex menstruo cor eiusdem caloris. cor hoc generabit sanguinem calidum, vt maribus conuenit: vnde & excrementum huius sanguinis, quod est semen, erit multum calidum. quare necesse est etiam, vt conuenientia huic excremento conceptacula generentur. Hæc sunt meatus seminales, & testes, & penis; per testes vero, & penem mas differt secundum Ar. à femina. Econuerso quando semen tribuit menstruo calorem minorem reperto in cordibus marium, ex eo generat cor minoris caloris, quàm maribus conueniat. cor hoc generabit sanguinem minus caloris participem, & minus sincerum sanguine marium: vnde etiam excrementum huius erit crudum, & impurum, quod est

menstruum. quare necesse est, vt conueniens huic excremento conceptaculum generetur; tale est vterus, per quem fœmina à mare differt. Vide quomodo membra, per quæ mas differt à femina, possint consequi iuxta doctrinam Ar. caliditatem, vel frigiditatem. Vnum vero, de quo Ar. Empedoclem arguebat, hoc erat, quod non poterat reddere rationem, quomodo partium, per quas mas, & femina differunt inter se, caliditas, & frigiditas causæ essent.

Sed dices. cur Ar. in assignando modo, secundum quem frigiditas, & caliditas sunt causæ, vt genitalia in mare, & femina diuersæ sint figuræ, confugit ad cor? Quia iuxta ipsum 6. de hist. an. cap. 3. tertio de part. an. cap. 4. secundo de gen. an. cap. 4. lib. de iuu. & sen. cap. 2. cor primum est membrum, quod ex menstruo formatur. Quare etiam in ipso, vt in principio, anima collocatur, & primum omnium masculeitatem, vel fæmineitatem recipit. Unde virtus in ipso residens membra reliqua sibi conuenientia format. Hoc modo mas, & femina secundum Ar. & expositore Auer. generatur, si rectè Auer. intellexi. Reassumam autem, vt & Auer. facit, breuiter quæ de hoc modo dixi. Causa diuersitatis maris, & feminæ est diuersitas membrorum propriorum maris, & feminæ. Causa diuersitatis horum, est diuersitas excrementi. Causa diuersitatis excrementi, est diuersitas caloris sanguinis. causa diuersitatis caloris sanguinis, est diuersitas caloris cordis, quod sanguinem generat. causa diuersitatis caloris cordis, est diuersitas caloris seminis, & virtutis in semine residentis. semen ergo calidum generabit ex menstruo cor calidum. hoc generabit sanguinem calidum, huius excrementum erit calidum; huius organa accommodata non sunt, nisi testes, & penis, per has partes fetus est mas. E conuerso res se habet de femina.

Ego vero alio modo marem, & feminam generari puto. dico ergo inhærendo ijs, quæ supra cap. 14. statui, quod mas semper est calidior femina, & ideò semper etiam magis calidum semen, quàm femina generat. Verumtamen si istud semen in se consideretur, non respectu seminis feminæ, aliquando est magis calidũ, aliquando minus. similiter semen feminæ, licet sit semper minus calidum, quam maris semen, (loquor de seminibus fecundis) attamen in se consideratum, aliquando est magis calidum, aliquando minus. Insuper

super cum mas sit calidior fęmina, necessarium est, vt ex calidiori semine generetur, fęmina vero ex minus calido. His sic suppositis. si aggregatum ex semine fęminæ, & semine maris erit calidius, generabitur mas, si minus calidum, fęmina. Aggregatũ est calidius, vel frigidius, prout semen à mare, & à fęmina prodiens est calidius, vel frigidius. Causæ vero generationis calidioris, vel frigidioris seminis tam in mare, quam in fęmina sunt multę. Ab Ar. 7. de hist. an. cap. 6. & 4. de gen. an. cap. 2. recensentur quatuor. Ætas, temperamentum, ventorum natura, lociq; conditio, aquarum qualitas, addo ego omnis potus, & cibi qualitatem, & temperamẽtum partis, à qua semen prouenit. Nouella, et senescens ætas frigidius semen, florens calidius: sic mares, & fęminæ calidi, vel frigidi temperamenti calidius, vel frigidius generant. Aquilones ad sincerioris, Austri ad impurioris, & magis excrementosi, et per consequens frigidioris seminis generationem faciunt. Idem dicas de regionibus, in quibus vel aer nebulosus, & caliginosus est, & non agitatur, vel purus, & assidue ventillatur. sic ex aquis crassis, crudis, sanguis inconcoctus, & frigidius gignitur, & semen eiusdem naturæ. è contra est de limpidis, & purgatis. Idẽ dic de cibis, facilis digestionis, & calidis, & vinis optimis, & de cibis, & potibus difficilis digestionis, et qui frigidi, & crassi sunt succi. Semen à parte dextra proueniens, cum calidius sit semine à sinistra proueniente, aptum est ad gignendos mares. è contra se res habet de semine sinistrę partis: semen autem à dextra parte proueniens, est calidius semine sinistræ partis, quia vas præparans venosum dextræ partis immediate à trunco venæ cauæ descendentis oritur, sinistrum vero vas, non à venæ ipsius trunco, sed à ramo emulgente. at rami emulgentis sanguis, aquosior est, & sero multo dilutus, quia per ipsum serositas sanguinis à rene attrahitur. semen ergo sinistræ partis, cum ex frigidiore sanguine fiat, non potest esse ita calidum, vt est semen partis dextræ, quod ex sanguine puriori, & magis elaborato generatur. Causam veram ob quam vas venosum sinistræ partis seminale ab emulgente oriatur, non à trunco venę cauæ, primus omnium assignauit Realdus Columbus lib. 6. de re anat. versus finem, & lib. 11. cap. 13.

Verum aggregatum ex seminibus, non solũ calidius, vel frigidius est, prout semen à mare, & à fœmina calidius, vel frigidius

prodit. Sed etiam pro vt vterus calidior, vel frigidior est. Si enim aggregatum sit calidius, & recipiatur in vtero calidiori, calidius conseruatur, & generatur mas. si recipiatur in vtero frigidiori (frigidiori tamen inter sanitatis latitudinem) amittit de sua caliditate, & ad frigiditatem vergit, & ex eo fęmina nascitur.

Intelligitur autem secundum Hipp. & Gal. aggregatum ex seminibus in sua caliditate conseruari ab vtero calidiori bifariam, vel scilicet si ipse de se calidior sit, vel si aggregatum in latere dextro vteri recipiatur, ècontra vero, si ipse vel frigidior sit, vel etiam in latere sinistro recipiatur, ni admodum calidus de se vterus sit. Latus enim vteri dextrum calidius est sinistro, tum quia, vt dictum iam est, ex calidiori sanguine nutritur. nam nutritur sanguine immediate proueniente à vena caua; sinistrum vero sanguine proueniente ab emulgente. tum etiam, quia hepar locatum est in parte dextra, quod plurimo calore abundat. dictum est autem ab Hipp. 6. ep. sect. 2. tex. 12. partes, quæ secundum rectitudinem sunt sitæ, necessario plus inter se communicare, ac frui. non ergo mirum, si partes vterorum dextræ, sinistris absolutè calidiores sunt.

His omnibus ita suppositis. recenseamus omnes modos, quibus aggregatum ex seminibus potest eße calidius, vel frigidius. nam tot modis mas, & fęmina generari poterunt. Calidius resultat aggregatum, si tam à mare, quàm à fęmina calidius prodeat, vel ab vno calidius, ab altero frigidius, sed copia superet calidius. Aggregatum frigidius resultat, si ab vtroque frigidius prodeat, vel ab vno frigidius, ab alio calidius, superet vero copia semen frigidius. Prodeat ergo ab vtroque calidius, generabitur mas, & erit ferox, bellicosus. Prodeat à mare calidius, à fęmina frigidius, superet copia semen maris, vterus sit solumodo temperatus, generabitur mas, & erit minus ferox, & validus. Prodeat à fęmina calidius, à mare frigidius, superet copia semen fęminæ, vterus sit calidior, vel in dextra parte recipiatur, generabitur mas; sed meo iudicio effęminatus. si vterus sit frigidior, vel in parte sinistra recipiatur, generabitur fęmina. Vide quam differentiam semen maris calidius, & semen fęminæ itidem calidius in fętibus constituant, quando alterum eorum præualent. Prodeat ab vtroque

semen frigidius, generabitur necessario fęmina abiectissima, & effęminatissima. Prodeat à mare frigidius, à fęmina calidius, superet semen maris, recipiatur in vtero frigidiori, vel parte læua, fęmina generabitur, sed generosa, & in hominibus virago. recipiatur vero in vtero calidiori, vel parte dextra, generabitur potius mas. & ratio est. quia iam suppositum est semen maris esse semper calidius semine fęminæ. si ergo cum prodit à fæmina calidius, à mare vero frigidius, & copia superet semen fęminæ, iam diximus posse marem generari, conspirante caliditate vteri, cur etiam quando prodibit semen à mare frigidius, & à fęmina calidius, & superat semen maris, coadiuuante caliditate vteri mas non generabitur? Prodeat à mare calidius, à fęmina frigidius, superet copia semen fęminæ, generabitur fæmina mollis, & effęminata. Et hic etiam potes notare differentiam, quæ in fętibus oritur, quando semen maris est frigidius, & præualet copia, & semen fęminæ præualet, & itidem frigidius est.

Verumenim vero à longe causam generationis maris, & fęminæ hactenus tetigimus. Accedendum est cum Ar. ad proximiores causas, & declarandus est modus, secundum quem caliditas, & frigiditas aggregati ex seminibus possunt esse causa generationis maris, & fęminæ. Modus ergo ex mea sententia est iste. Quando aggregatum ex seminibus est calidius, aptum est ad suscipiendam formam maris. (dictum est enim marem fęmina esse calidiorem). quare formatrix facultas illi aggregato insidens vim maris ipsi tribuit, scilicet masculeitatem. Quia vero non inuenitur uis aliqua absque proprio organo, de necessitate formatrix facultas simul ipsi tribuit debita organa, & ideò ex eo aggregato penem, scrotum, & vasa seminalia, testesque aliter, ac solet in generatione fęminarum, format, per has vero præcipuè partes mas est mas, & à fęmina differt. Hic est modus generationis maris. Eundem esse dicas in generatione fęminæ. Porrò non recurro ad id, quod Gal. docuit lib. 2. de sem. 5. & 14. de vsu part. 6. genitalia fęminarum solo situ à genitalibus marium distingui. Hoc enim video erudite confutatum ab Andrea Laurentio in lib. 2. op. anat. q. 7. Formatrix ergo facultas generat marem, & fęminam. ad generationem maris habet materiam calidam

dam bene concoctam, & calorem validum pro instrumento, ad generationem fœminæ, è contra.

Vis autem videre formatricem facultatem proximam esse causam generationis maris, & fœminæ, quamuis de hac, in generationis maris, & fœminæ causa assignanda, Gal. nil meminerit? Considera, quòd, sicuti supra narratum est, mulieres ex aspectu figuræ masculi, masculos, ex aspectu figuræ fœminæ, fœminas procreant. In his vero casibus imaginatio est efformans. at nulla prægressa inspectione alicuius imaginis, nullo prægresso desiderio magis marem, quam feminam generandi, efformans, erit facultas seminibus insita, vt supra collegi cap. 17. Quare præter caliditatem, & frigiditatem aggregati ex seminibus, ad generationem maris, & fœminæ facultas formatrix concurrit, & ad ipsam, tanquàm ad causam proximam confugiendum est. Galenus autem eius non meminit, vt potè rei apud se notissimæ.

Ex his autem potes reddere rationem, cur mulier vtero gerens marem, sit bene colorata. contra si vtero gerat feminam, vt testatum reliquit Hipp. 5. aph. 42. & cur si fetus in vtero citius, frequentius, & validius moueatur, signum sit ipsum marem esse, è contra vero, feminam. Hæc enim in caliditatem fetus vtero gesti referenda sunt. masculus enim fetus sua caliditate calorem grauidæ confortat, vnde meliores coctiones efficit, & excrementa pauca aggregat. color autem efflorescit similis humoribus, dicebat Hipp. in principio lib. de hum. Mas similiter, quia calidior est, citius femina conformatur; vnde citius in vtero mouetur 7. de hist. an. 3. caliditas etiam ad motum res aptas facit, sicuti frigiditas pigras reddit. vnde mas frequentius, & validius in vtero mouetur.

Potes similiter rationem reddere, cur aliquis cum vna muliere omnes mares, cum altera omnes feminas procreet. omnes enim mares facit propter seminis feminæ, & vteri caliditatem. propter vero seminis, & vteri frigiditatem, omnes feminas; & ob hanc eandem causam, & mares, & feminæ in nouella, & ingrauescente ætate feminas, in alijs potius mares generant.

Potes vlterius modum docere, secundum quem vel mares, vel feminas generare aliquis poterit. Si enim vir cibis boni succi, facilis

cilis digestionis, conditis aromatibus, vinis optimis vtatur, versetur in aere puro, mediocriter se exerceat, liget sibi testem sinistrum; ita tamen, vt dolorem ligatura non afferat, rariùs coeat; nam immodica venus semen frigidius reddit; hæc eadem obseruet mulier, & preterea super latus dextrum decumbat, & à concubitu illico super illud quiescat, & imaginem alicuius infantis masculi attentè inspiciat, mares procreabuntur. E conuerso fęminæ.

Confert vero summopere pro generandis masculis, vel fœminis, si sæpè, sed præcipuè inter coeundum, à viris mulieres rogentur, vt sibi vel marem, vel fœminam procreent. Verùm mirum in modum illud ad generationem marium facit, si viri proprias vxores ament, & omni studio quærant ab ipsis mutuo amari, & hoc ob tres rationes. Prima est. quia cum animaduertit vxor se vnice à marito diligi, omninò voluntati mariti adhæret, & affectat omnibus modis ipsi rem gratam facere. Vnde si maritus desiderat, vt marem generet, assiduo in imaginatione reuoluit hoc mariti desiderium, & marem procreat. declaraui modum supra cap. 17. Secunda ratio est. quia in amore leuiter, & placidè ebullit sanguis, sicuti in ira efferuescit. Vnde factum est, vt amantes ita facile irascantur. nam facilis est transitus ab incalescentia sanguinis, ad efferuescentiam. Cum ergo maritus, & vxor se mutuo amant, sanguis illorum incalescit. ex sanguine calidiori, calidius semen generatur, & sic mares nascuntur. Tertia causa est. quia videmus miram sympathiam inter imaginatiuam facultatem, & inter semificam, & partes ipsas genitales. Nam cum vasa spermatica plena semine sunt, excitantur in nobis in somnijs libidinosa phantasmata, & videtur nobis, quòd cum aliqua coeamus, & fit pollutio. Sic cum imaginamur aliquod obiectũ pulchrum, statim penis erigitur. Sic cum viri varijs curis detinentur, parum seminis gignunt; proptereaq; tunc libido eos non stimulat. cum vero se totos Veneri dant, & assiduo in animo libidinosa versant, plurimum seminis accumulant, vnde nil aliud, quam coire facerent. Cum ergo mas, & fęmina se mutuo amant, quid mirum est moueri quam plurimos spiritus ad partes genitales, & commisceri cum semine, vnde calidius euadat? ex calidiori autem semine mares procreari dictum est.

Cardanus lib. 12. de subtil. rerum in principio scribit. Etenim à caliditate mares procedunt, à frigore fœmellæ. Quoniam quod perfectum est, potentius multitudine, aut loci caliditate superat, quod est imperfectum. Inde nata ratio masculos filios procreandi triplex, Prima vt homo exerceatur, solidioreque vtatur cibo, & rarius concumbat. Nam sic semen calidius euadit. secunda vt mater super latus decumbat dextrum, & à concubitu illico super illud quiescat. Dixit enim Hipp. masculi in dextris, fęminæ in sinistris generantur. Facit & ad hoc herba mercurialis dicta mascula, quæ duos quasi coleos habet pro seminibus. nam fęmina racemos, auctore Dioscoride, à quo sumpsit Plinius. Has ambas in nostro horto cum Thoma Iseo Medico, dum hæc scriberem, considerabam. Ex secunda obseruatione, multi nostro consilio potiti sunt voto. Tertiam hanc nondum experiri contingit. Oportet autem, vt aiunt, nuper purgatis ex irino supponere, & in cibis propinare. & vbi conceperit, masculæ folia edenda dare.

Quæritur secundò cur fętus modo patri, modo matri similis oriatur. Respondeo id accidere ex vario dominio facultatis formatricis in semine patris, vel matris residentis. Si enim præualet formatricis facultatis semini patris insidentis vis, fętus oritur similis patri. Si præualet vis formatricis facultatis seminis matris, oritur fętus similis matri. Quomodo autem intelligatur vim formatricis patris, vel matris in formatione fętus præualere, discent studiosi ex statim subiungendo quæsito.

Ex primo, & secundo quæsito oritur tertium. Cur scilicet fętus oritur aliquando mas, & assimilatur matri, & oritur aliquando fęmina, & est similis patri. Respondeo ex iactis principijs. Cum aggregatum ex semine patris, & matris est calidius, & in ipso plus est seminis matris, tunc oritur mas, & est similis matri. Cum enim in maiori quanto sit maior virtus, quis dubitabit in eo aggregato, in quo plus est seminis matris, plus quoque esse (vt ita dicam) facultatis à semine matris prouenientis, atque ideo fætum similem matri effingi? sic, si aggregatum ex seminibus sit frigidius, aut de se, aut concurrente frigiditate vteri (semper enim hoc subintelligendum est, vt rectè principia nostra consideranti patebit)

patebit) femina nascetur. Sed si plus erit ibi seminis patris, fæmina assimilabitur patri. Non negarim etiam. si aggregatum constet ex æquali portione seminis patris, & matris, quia efficacior est vis à patre procedens, posse nasci feminam similem patri.

Gal. 2. de sem. 2. vult, quòd, quantum ad vim seminis, cum semen maris efficacioris sit virtutis semine fæminæ, proles semper patri similis nasci deberet. Sed tamen femineam genituram vim, & facultatem efficientem menstrui sibi adiungere, quæ nouem mensium spatio assidens, quamuis imbecillima sit, tanto inualescit, & superat, quanto in primo congressu à maris semine superabatur, & sic fœtus matri similis oritur. Sed hæc responsio non omnino mihi satisfacit. Nam statui supra cap. 16. diuersas figurationes membrorum, quibus contingit filios, aut matribus, aut patribus similes esse, ex compage, & figura solidorum membrorum præcipuè, non solum ex sanguineis partibus, quæ circa hæc obductæ sunt, fieri. at partes solidæ ex semine, sanguineæ ex menstruo generantur. oportet igitur, si filius debet matri similis fieri, vt virtus in semine matris existens, statim in primo congressu cum semine maris, & in prima adumbratione, & lineatione solidarum, & seminalium partium superet, non autem auxilium à menstrui facultate expectet; Aduertendum autem est, quòd quamuis plus possit in assimilando aliquando virtus à semine feminæ proueniens, non tamen quicquam potest, nisi perfectionem à virtute seminis maris acceperit, iuxta ea, quæ tradidi supra cap. 14.

Ex responsione huius tertij quæsiti patet, quàm rationabile sit dictum quoddam vulgare. Cum enim fetus multum similis matri oritur, dicunt vulgares, quod mater multum de suo ad illius generationem contulit. Idem dicunt de patre, quando fœtus oritur similis patri.

Quarto quæritur, cur fœtus aliquando non patri, sed auo, vel abauo, non matri, sed auiæ, & abauiæ similis est? Respondeo cum Ar. 4. de gen. an. 3. iuxta expositionem Auer. quod quando virtus formatrix à patre procedens dominatur, & superat in efformando, verum debiliter, tunc fetus non similis patri, sed auo, oritur. Si adhuc magis debiliter, oritur similis abauo. Si non dominatur, similis deinde matri. Quando vero fortiter dominatur,

tunc fœtus oritur similis patri. Idem dicas de semine matris. Quando enim fortiter dominatur, & superat, fętus similis matri, quando debiliter, similis auiæ, quando vix dominatur, similis abauiæ, quando superatur, nullo autem pacto superat, similis patri oritur. Quod autem dixi de toto fœtu, idem dicas de partibus. sæpè enim aliæ partes patri similes, aliæ matri, alię maiorum alicui similes constituuntur.

Sed hic non possum silentio pręterire pulchram quandam dubitationem. Si enim verum est, vt cum semen fęminæ copia excedit semen maris, fętus oriatur similis fœminæ, vt determinatum est, videtur de necessitate sequi, vt semper in ouiparis pennatis fœtus sint similes matribus; quod à sensu remotissimum est. Obseruamus, quòd si semel, vel bis gallus gallinæ superuenerit, gallina 4. & sex, forsamque plura oua fœcunda edet. adeò quòd, si semen à Gallo emissum diuidamus in sex partes, parua valde portio illius singulo ex sex ouis inerit. portio vero oui, ex qua communiter creditur generari pullus, quæ est albumen, est adeò magna, vt possimus credere albumen portionem illam seminis galli vigesies, & plus etiam superare: hoc autem non est credendum euenire de semine mulieris, respectu virilis.

Hæc est pulchra dubitatio. Pro qua tollenda studiosi audient noua, & non indigna eorum auribus, quæ & ego audiui ex ore celeberrimi mei præceptoris Hieronymi Fabricij ab Aquapendente. Non existimat iste celeberrimus vir, vt hucusque omnes putarunt, docti ab Ar. 6. de hist. an. 3. tertio de gen. an. 2. & 4. de gen. an. 4. pullum generari ex albumine oui, & nutriri ex luteo. Sed vult persuasus rationibus, quas videbunt studiosi cum libellum de ouo promulgabit, & quas consulto prætereo, ne videar primus aliorum inuenta omninò publicare, spermaticarum partium pulli primam delineationem, ex portionibus illis albis rotundis, quæ initio vitelli adhærent, & geminę in omnibus ouis cernuntur, & ab Ar. 6. de hist. 2. grandines vocantur, fieri. quæ fuit, vt ibi scribit Ar. aliquorum etiam Antiquorum opinio; partes vero sanguineas ex vitello generari. nutriri partes spermaticas ex albumine, sanguineas ex luteo.

Iuxta ergo hanc sententiam facilè dubitatio proposita diluitur.

Si quidem grandines illę non sunt adeò magnę, vt proportio non seruetur inter illas, & semen galli. & pręcipuè si loquamur de ouis, quę statim post coitum cum gallo, gallina parit. Verisimile enim est, illis maiorem quantitatem seminis galli, quam posterioribus inesse. Vnde commodè saluare poßumus, pullos aliquos non similes matri generari poße. Porrò Cardanus, lib. supra citato, non docuit quidem aliquid, de oui grandinibus; attamen vult crura, & alas ex luteo fieri. at hę partes maximam carnosarum, & sanguinearum partium auium partem conficiunt. Inquit ergo Cardanus.

„ Primum igitur, calore fouente gallinę, se-
„ men illud in fistulas paulatim oui candidum vertit, tum vero &
„ lutei aliquid, nam alę, & crura ex luteo fiunt. Indicio est, quod
„ pulli, qui ex ouo, cuius lutea duo sunt absque sepiente membra-
„ na, capite vno, sed quatuor alis, & totidem pedibus nascuntur,
„ arbitranturque prodigium, quale olim Mediolani contigit.
„ Itaque quidquid bullis refertum est agitatur, & siccatur, tran-
„ sitque in membranas, neruos, & duriores partes.

Ex quibus comprobatur quadam ex parte sententia celeberrimi Aquapendentis, & ob id ea referre volui. Elicitur enim ex his sanguineas partes pulli ex luteo gigni; ergo non est verum luteum inseruire solum pro nutrimento.

Superest alia remouenda difficultas, quę ex nostris dictis emergit. Diximus semen calidius fœminæ facere poße ad generationem maris. dicet aliquis. semen calidius fœminę, non ne est à fœmina? non ne habet calorem illum à fœmina? ergo semen fęminę calidius facere quidem poterit ad generationem calidioris fęminę, sed non ad generationem maris. nil enim vltra vires proprias agit.

Respondeo ad hanc difficultatem. verum esse seminis fęminę calorem à fęmina prouenire, sed non omnem caliditatem in semine fęminæ calidiori contentam à fęminæ temperatura prouenire.

Iam enim manifestaui præter temperaturam fæminarum, ad maiorem, vel minorem caliditatem in semine earum gignendam concurrere etiam ingestorum, & ambientis maiorem, vel minorem caliditatem. Vnde ex vsu e.g. cibi, & potus calidorum semen

gene-

generari potest præditum maiori caliditate, quàm possit illi imprimi à fœminæ temperatura; potest scilicet habere illam caliditatem non à fœminæ temperatura, sed quia illud productum sit ex sanguine ex calidiori cibo, & potu genito.

Quantum imaginatio supra temperaturam fœminæ possit calidius reddere semen, iam patefactum est; & quantum animi affectus, præsertim amor, qui inter genitores intercedit. & hic ferè continuè inter illos summus intercedit.

Dicimus deinde calidius semen fœminæ de se facere ad generationem fœminæ calidioris; sed accedente præterea semine maris, quod semper calidius est semine fœminæ, (licet de se sit minus calidum) atque conspirante vteri caliditate, dicimus fieri aggregatum ex seminibus calidius semine fœminæ calidiori: proinde esse in illo aptum efficiens, & aptam materiam pro generatione maris. & si sit in eo aggregato maior quantitas fœminæ seminis calidioris, quàm maris seminis, & maris semen de se, scilicet respectu maris seminis, sit minus calidum, dicimus, vt paulo supra declarauimus, non fieri quidem à tali, & ex tali aggregato calidiorem fœminam, sed marem, verum tamen naturam fœminæ redolentem, marem effœminatum, frigidum inter mares.

Adest porrò in eo aggregato calor seminis maris, qui quidem calor, licet semen maris sit de se minus calidum, non est per se accommodatus pro generatione fœminæ, quamuis calidioris, sed maris, at effœminati, & mollis. Quando ergo semen fœminæ est minus calidum, & semen maris itidem, tunc calor seminis maris plus iusto retunditur à semine fœminæ, & ideò aggregatum resultat frigidius, & aptum pro generatione non maris, vel effœminati, sed fœminæ. Quando vero semen fœminæ de se calidius est, calor seminis maris parum retunditur à semine fœminæ, & ideò aggregatum resultat calidius, & conspirante vteri caliditate aptum pro generatione maris, sed effœminati, ob imbecillitatem caloris agentis, & ob multam copiam materiæ à fœmina subministratæ in aggregato existentem.

Ar. vult, quod quando menstruum est plus iusto frigidius, non possit à calore seminis maris perfectè coqui, & ideò fœmina generetur. Quando vero est minus frigidum, à semine perfectè concoquatur,

coquatur, superetur, & generetur mas. Nos vero dicimus, quòd quando semen fęminæ est frigidius, & miscetur cum semine maris, obtundit calorem seminis maris, & præsertim si copia excedat semen maris, semenque maris sit de se minus calidum; vnde calor, qui in miscella seminum existit, minus validus resultat, & minus potens perfectè craßamentum, & corpulentiam illius miscellę conconquere, & superare: vnde etiam illa corpulentia minus cocta, & minus calida remanet, & sic fęmina, non mas generatur. è contra dicimus de generatione maris.

Sunt hæc diuersa ab ijs, quæ Ar. de modo generationis maris, & fęmina tradidit, sed non ijs contraria, imò similia. Quod enim ipse tribuit vni calori seminis marium, vt efficienti, nos tribuimus calori resultanti ex miscella seminis vtriusque sexus; & quod ille tribuit menstruo de se magis, vel minus crudo, & frigido, vt materiæ, nos tribuimus corpulentiæ miscellæ seminis vtriusque sexus, magis, & minus calidæ, magis, & minus coctæ.

Instabit quis. Dixisti nunc, quòd quando semen fęminæ est minus calidum, idest de se frigidius, & semen maris itidem, & superat semen fęminæ, tunc calor seminis maris plus iusto retunditur à semine fęminę, & ideò aggregatum resultat frigidius, & aptum pro generatione fęminæ; sed quando semen fęminæ de se calidius est, calor seminis maris parum retunditur, & fit aggregatum calidius, & aptum pro generatione maris. Fac modo vt semen fęminæ sit frigidius, maris non itidem, sed calidius, & superet copia semen fęminæ, vt in altero quoque casu superabat, tunc ne retundetur plus iusto calor seminis maris, & fiet fęmina?; an ob resistentiam maiorem, quàm calidius maris faciet frigidiori fęminæ, fiet aggregatum calidius, et per consequens gignetur mas, contra id, quod in enumeratione modorum generationis maris, & fęminę statuisti? Respondeo fiet aggregatum frigidius, & per consequens fœmina. licet enim resistat, & contra agat calidius maris, non tamen adeò resistit, & contra agit, vt æquè parum illius calor remittatur, ac remittitur, quando simul confunduntur semen fęminæ de se calidius, & maris de se minus calidum. parua adest dissimilitudo, parua contrarietas inter calidius fęminę, & minus calidum maris; ideò parua inter illa fit actio, & reactio. è contra se res

habet

habet de semine fœminæ frigidiori, & maris calidiori.

Admonemus autem studiosos. quòd, si animum bene adhibuerint, quatuor modos posuimus, secundum quos aggregatū ex seminibus vtriusque sexus calidius euadere potest, & per consequens secundum quos mares generari possunt; & quatuor, secūdum quos aggregatum frigidius euadere potest, et per consequens secundum quos feminæ generari poßunt. Hos autem modos posuimus, vt quātum possibile esset imitaremur auctorem lib. primi de diæta, vt possunt colligere studiosi ex ijs, quæ ex eo lib. attulimus supra cap. 15. Vidimus enim doctissimum Laurentium non solum imitatum, verum penitus illum auctorem sequutum fuisse. nos autem Laurentij iudicio plurimum tribuimus. Sed nouam disputationem non instituemus contra aliquem, cui videretur durum admittere illos modos, et ex quatuor, secundum quos mares poße generari dictum est, admittat tantum duos, scilicet quando ab vtroque calidius semen prodit, & quando à mare calidius, à femina frigidius quidem, sed copia superat semen maris; & quatuor modis feminas postea generari velit, cum aliqua tamen inter illas diuersitate, vt & nos notauimus, quando scilicet ab vtroque frigidius semen prodit, vel quando à femina frigidius, à mare calidius, sed copia superet semen feminæ, vel quando à mare frigidius, à femina calidius, & superet semen maris, vel etiam si superet semen feminæ. nam semen maris simpliciter loquendo semper calidius est semine feminæ. tam igitur simpliciter loquendo erit calidum semen minus de se calidum maris, quam femine magis de se calidum, imò magis calidum. Si ergo, cum semen maris est de se minus calidum, & copia superat, generatur femina, rationabile est generari quoque fœminam, cum semē feminæ est de se calidius, maris de se frigidius, & superat semen feminæ. Imò dicimus hunc ita opinātem apte poße reddere rationem cur plures feminæ, quàm mares oriantur. pauciores enim mares nascuntur, ob difficultatem modi generationis eorum; plures feminæ, ob multiplicem earum ortus modum. Sufficiat nobis, iuxta etiā modos generationis maris, & feminæ ita moderatos, poße rectè respondere problematibus omnibus propositis de generatione maris, & femine, & præsertim illi adeò pro difficile ab Ar. habito, cur mas oriatur similis matri, et femina similis patri. Fiet enim mas similis

milis

milis matri, dum in aggregato ex vtriusque seminibus calidis plus erit seminis matris. similis patri, cum in eo plus erit seminis patris. fiet fęmina similis patri, cum in aggregato ex seminibus frigidiori, vel dicas minus calido, erit plus seminis patris: similis matri, cum in eo maior quantitas seminis matris erit. Sufficiat nobis etiam nil dimoueri fundamenta supra à nobis iacta cap. 14. quibus contra Peripat. Gal. & Hippoc. veram sententiam defendimus, ne cogantur fateri fœminam de se concipere posse, cum in eius semine vis formatrix, vnà cum suo instrumento, nempè spiritu, reperiatur, & habeat materiam, & locum aptum pro conceptione.

Moderando hoc pacto modos, secundum quos mares, & secundum quos fęminæ gignuntur, oritur similiter difficultas de calidiori semine fœminæ, quod non possit facere ad generationem maris; illa tamen tollitur modo etiam iam declarato; posse gigni à fœmina semen calidius, quàm suæ temperaturæ conueniat; sed semen fęminæ non facere de se ad generationem maris, at simul confusum, & mixtum cum semine maris, indeque acquisita maiori caliditate, validitateque.

Verum si hæc mea disputatio ad manus doctissimi Andreæ Laurentij peruenerit, rogo illum, vt nodum difficillimum in Hipp. & in ipsius dictis orientem mihi dissoluat. Nodus est, & fuit à me animaduersus supra cap. 15. Passim doctissimus hic vir in secundo op. anat. lib. habet. Semen maris semper calidius esse semine fœminæ; vnde in fine q. 16. statuit contra Valesium, neque calidissimæ fœminæ semen, ob eius frigiditatem, & debilitatem, posse de se fœtum instituere. similiter in q. 30. docet Hippocratem agnoscere in vtroque sexu duplex semen, masculeum, & fęmineum, atq; Hipp. interpretatur, vt per masculeũ calidius, et validius semen Hipp. intelligat; per fęmineum, frigidius. Insuper cum Hipp. admittit, si semen à viro fęmineum, à muliere masculeum prodeat, et superet masculeum, generari marē; si vero superat fęmineũ, generari fęminam. Dicam ego mas generatur ex calidiori simpliciter semine; cum enim mas simpliciter fęmina calidior sit, necesse est ipsum ex calidiori semine generari. mas generatur ex masculeo semine fęmine, fœmina ex fœmineo maris. ergo semen fęminæ masculeum est calidius simpliciter semine

maris fęmineo. ergo maris semen nō est calidius semper semine fęminæ. ergo fœmina aliqua ex Valesio de se generabit. Studiosi meā de hac difficultate opinionem habent supra cap. 15. & postea hic completè explicatam. Summa hæc est. Hippocratem per semen masculeum intelligere semen calidius, validiusque, per fęmineum frigidius minusque validum. Marem semper esse calidiorem fęmina, proinde etiam ex simpliciter calidiori semine esse genitum, & calidius semen semper gignere: unde quamuis semen maris, facta comparatione inter seipsum, sit aliquando magis calidum, & minus, & fęminæ semen itidem. attamē semen maris minus calidum, fœminæ magis calido, calidum esse (loquor de seminibus fęcundis, & ad generationem aptis) quocirca calido existente vtero, si ex semine masculeo fœminæ mas generatur, concurrente eadem vteri caliditate ex semine maris fœmineo marem generari. Imò tantum abesse, vt semen fœminæ masculeum ex se faciat ad generationem maris, quod quinimò neq; conceptus institutionem auspicari possit, ni sufficientem calorem ad tale opus, et potestatem validiorem, & perfectiorem à semine maris accipiat. Doctrinam ergo lib. primi de diæta mancam esse, neque Hipp. dignam; atque, aut quatuor modos generationis maris, & totidem generationis fœminæ esse ponendos, aut duos maris, & quatuor fœminæ. Vtcunque autem de his modis statuatur, quamuis valde probabile sit dari quatuor, & maris generationis, & fęminæ, nos posse rationem reddere de omnibus contingentibus circa fœtus generationem.

Postquam ergo manifestum fecimus per positionem Medicorū, non solum nos posse respondere argumentis Ar. & sectatorum, atq; responsiones, quas rationibus Medicorum afferunt, refellere, verum etiam fundamenta illorum destruximus, & rationem reddidimus de ijs, quæ contingunt circa fętus generationem, contrà, ac Ar. existimauit, relinquitur ipsam veritati consentaneam esse, & probabiliorem Ar. positione. Quare licet concludere fęminam semen generare, quod est verum semen, & non solum facultate passiua, sed etiam efficiente præditum esse. Et hæc de prima Parte meæ disputationis ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, & Deiparæ Virginis dicta sint.

MVN-

MVNDINI MVNDINII VINCENTINI DISPVTATIONIS,

In qua ea, quæ de ſemine ſunt controuerſa inter Peripat. & Veteres Medicos, & doctiſſimos quoſdam Neotericos diſcutiuntur,

PARS SECVNDA.


Ariſt. ſententia de ſemine maris. Cap. Primum.



GGREDIOR ſecundam diſputationis partem, in qua propoſui quærere, vtrum ſemen maris in ſe principium tantummodo efficiens habeat, an & materiale. Afferam in hac ſecunda parte ſententiam Ar. & ſectatorum cum ſuis fundamentis. Secundo ſententiam Hipp. & Gal. & corum rationes; ſingulìſque ſemper ſubnectam reſponſiones, quæ à Peripat. fuere excogitatæ. Tertiò loco fundamenta Ar. & ſectatorum euertam. Ar. ergo ſemen maris rationem efficientis ſolum, nullo modo materiæ, habere exiſtimauit. Conſtat iuxta ipſum ſecundo de gen. an. 2. & 3. ex duabus partibus ſemen, altera aerea, & ſpirituoſa, altera aquoſa, & corpulenta. In ſpirituoſa vis efformans reſidet. Eiaculatur à mare in ceruicem vteri. inde in illius ſinum ab vteri calore attrahitur; vnde ceruix, quæ modo madebat, reſiccata mox ſentitur ſecundo de gen. an. 4. ſemen deinde ſanguinem menſtruum purum in eundem ſinum vteri ſpirituoſa ſui parte allicit, principium motionis ipſi infert, vim formantem tribuit, ipſum alterat,

immutat, & cogit. Audi ipsum Ar. secundo de gen. an. 4. Cum autem semen de mare accessit in fœminæ vterum, partem purissimam excrementi constituit. & inferius. Cum autem excrementum fœminæ in vtero constiterit à maris genitura, quæ simile facit, vt lactis coagulum: coagulum enim lac est continens calorem vitalem, qui partes similes ducit, eodem, vt vnit, atque constituit: & genitura ita se habet ad menstruorum naturam. eadem enim natura lactis, & menstruorum est, itaque coactis iam partibus &c. Primo de gen. an. 20. Sed euenit porrò, quod ex recta ratione est, vt cum mas formam, & principium motus præbeat, fœmina corpus, atque materiam, quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est, succus, aut coagulum principium spissandi, cogendique obtinet. Sic quod à mare in fęmina distinguitur, intelligi debeat. Per hæc habemus à semine menstruum purum cogi. alterari vero, & immutari ex ipsius altera oratione in secundo de gen. an. 4. Inquit Ar. Dicendum partes moueri, non mutantes locum, sed manentes, & alterascentes mollitie, duritie, colore, & reliquis partium similarium differentijs, factæ iam actu, quæ erant potentia. An semen maris principium motionis menstruo, & vim formantem tribuat ex mox subiungendis auctoritatibus studiosi dijudicabunt. Primo de gen. an. 20. scribit Ar. Apertum vnà cum ijs est, de quo differendum deinceps sit. Quemadmodum scilicet ad generationem mas conferat, & quo nam pacto semen maris causa eius, quod gignitur, sit. Vtrum vt insitum, & protinus inde pars corporis gignendi mistum cum materia fœminæ: an semen nihil commune cum corpore habeat, sed motus, visque in eo contenta sit, quæ communicet. hæc est enim quæ agat: quod autem consistat, & formam recipiat, reliquum excrementi fœminę est, &c. Secundo de gen. an. 1. Semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat quæque, eademque sit animata. Non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta, æquiuoce dicetur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit. Simul autem partes similares, & instrumentales, siue officiales efficiuntur. & quemadmodum non securim, non aliud instrumentum dixerimus factum esse ab igne solo: sic non pedem,

» *non manum, eodemque modo ne carnem quidem. nam eius quoque*
» *aliquod officium est. Dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicunq;*
» *alij affectus partibus insunt animatis, à caliditate frigiditateue*
» *effici poßunt. At ratio, qua iam caro, aut os est, non potest: sed à*
» *motu proficiscente efficitur ab eo, quod genuit, quodque actu est id,*
» *quod potentia est id, ex quo gignitur: quomodo quoque in ijs agi-*
» *tur, quæ arte efficiuntur. Ferrum enim durum, aut molle effici-*
» *tur calore, vel frigore. at vero ensis, à motu instrumentorum, qui*
» *artis obtinet rationem. Ars enim principium, formaque eius,*
» *quod efficitur est, sed in alio. Motus autem naturæ in ipso est,*
» *ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.* *Hæc eadem habentur in eodem lib. cap. 3. in fine, & cap. 4. in medio ibi. At vero in quibus sexus maris, & fœminæ. quæ ne tædio lectores afficiam non transcribam. Postquam ergo parti purissimæ menstrui semen vim generantem præstitit, ipsamque constare fecit, secundum eius corpulentiam dissoluitur, versumque in spiritum euanescit ex secundo de gen. an. 3. vnde nulla ex eo fit fœtus pars, neque materia partium illius aliqua pars est. Efficiens ergo tantum principium maris semen in se habet secundum Ar. non autem materiale. Inseruitque generationi vt efficiens, non vt materia.*



Sen-

Sententiæ Ar. ſectatorum rationes. Cap. II.

Videamus modò huius ſententiæ fundamenta. Nil vnquam in ſe ipſum agit; quia idem ſibi eßet contrarium. actio enim non cadit niſi inter contraria. Idem ageret ad ſui deſtructionem. Sed ſi ſemen maris in generatione fętus rationem materiæ haberet, ſequeretur, quòd aliquid in ſe ipſum ageret. ergo ſemen maris materiæ rationem non habet. Minor probatur. Nam ſemen maris, ex conſenſu non modo omnium philoſophorum, ſed etiam Medicorum, rationem agentis habet; ſi ergo materiæ etiam rationem habeat, aliquid in ſe ipſum ageret; idem ſibi eſſet contrarium, ageretque ad ſui deſtructionem.

Secundò ex primo de gen. an. 20. Opifex non eſt vnquam pars ſui opificij. Semen eſt opifex, vel etiam ex Gal. ſententia. ergo fętus materia eſſe non poteſt.

Tertiò ex ſecundo de gen. an. 3. Coagulum lac mutat, & cogit, neque illius coagulati pars fit. ergo neque ſemen maris pars inſtituti fętus eſt, & illius materia.

Quartò arguitur ex natura ſeminis. Si enim ex eo, tanquam ex materia conſtituerentur partes fętus, exempli gratia os, neruus, cartilago, tunc ſemen coagulari eſſet neceße. ſi quidem huiuſmodi partes ſimilares ſine coagulatione fieri non poſſunt. At natura ſeminis neque à calido, neque à frigido coagulatur, cum illud à frigido humidum fiat, & aqueum; à calido vero aquea non coagulentur. ergo ex eo, tanquam ex materia, partes fętus non conſtituuntur.

Quintò cum animalium omnium, quæ coitu propagantur, communiſſima conditio ſit, vt ſemine propagentur, communiſſima etiam afferenda eſt ratio, quæ illorum omnium procreationi ſatiſfaciat. At in his quędam ſunt, ad quorum conceptum non materia ſeminis, ſed virtus tantum illius à mare afferri videtur, vt in inſectis contingit. ergo in omnibus animalibus, quæ per coitum propagantur, communiſſima conditio eſt, vt à mare non materia,

sed tantum vis seminis tribuatur. Quod dictum est de animalibus insectis declaratur sic. In insectis per coitum non aliquod membrum mas in fęminam, sed contra fęmina in marem indit. Verisimile ergo Ar. non est, in istis semen à mare in fæminam, sed solum vim seminis immitti. quasi in his fęmina materiam ad opificem apportet. In insectis ergo à maribus non materia aliqua, sed solummodo virtus affertur. Hinc fit, vt insecta diù coeant, absolutaque breui generent. coniuncta enim manent, quousque constituant, perinde vt semen constituit. Sed abiuncta cito edunt conceptum, quoniam & imperfectum, quod pariunt, est.

Maximo sexto loco indicium est, inquit Ar. primo de gen. an. 29. quod & auibus, & piscibus ouiparis euenit, non tale emitti à mare, quod insit in eo, quod genitum est, sed virtute tantum contenta in semine maris viuificari, vt dictum est de insectis. Aues enim fęminæ absque mare oua subuentanea edunt. Quod si mas nondum luteo in album mutato, fęminæ superueniat, fęcunda ex subuentitijs redduntur statim. Verisimile autem non est materiam seminis illis ouis à mare immitti, sed tantummodo vitę, & fęcunditatis vim infundi.

Hoc idem in generatione quoque ouiparorum piscium euenit. Vbi enim fæmina oua ediderit, mas semen aspergit, & quęcunque attingit, fęcunda efficiuntur. quæ non attingit, remanent infęcunda; quasi non ad quantitatem mas conferat, (inquit Ar.) sed ad qualitatem. Quodsi absque materia seminis masculini, sed sola illius virtute nonnulla animalia fieri possunt, rationi consentaneum est naturam, quæ nunquam pluribus agit, quod paucioribus agere potest, in quolibet fętu sola masculini seminis efficacia, minimè materia ad conceptionem vti.

Arguit præterea Cęsalpinus lib. 5. quęst. Peripat. q. 2. Cur misceri oportet duas materias maris scilicet, & fęminę in conceptu? Si enim virtus vtriusque in alteram agat, in materiam maris perfectiorem, aget imperfectior virtus fæminæ. hoc autem modo non ad perfectionem tendet generatio, sed ad imperfectionem. Si autem singulæ virtutes in suam materiam agant, non vnum fiet animal, sed duo. vnum scilicet ex semine maris, alterum ex materia fæminę. Sufficit igitur vna materia fæmi-

næ, &

næ, & vnum agens, quod est in semine maris, vt vnum ab illis fiat.

Nonò arguit Calumniator Argenterius. Potest ne tantillum semen semel à mare in vuluam iniectum, partibus omnibus spermaticis delineandis, ossibus, cartilaginibus, ligamentis, venis, arterijs, neruis, membranis sufficere? Non ergo materiæ, sed efficientis solum, & opificis semen maris rationem habet.

Decimò. eadem est materia, ex qua augetur, & ex qua constituitur primum fetus secundo de gen. an. 4. in medio, & 4. eiusdem primo versus finem, & cap. 8 in fine. Secundo collig 10. & com. vltimo in primum de gen. an. Vnde Medici axioma illud suum habent, ijsdem nos nutriri, ex quibus constamus; at singulæ perfectorum animalium partes sanguine nutriuntur, ergo ex sanguine generantur, non ex semine.

Vltimo. si partes principes cor, & hepar ex sanguine generantur, vt omnes fatentur. Cur non & reliquæ partes, quas posterius perfici omnes admittunt? Sed si ex sanguine generantur, non ergo ex semine, & præcipuè maris. & per consequens semen materiæ locum non habet.

Hipp. & Gal. sententia. Gal. rationes pro illius probatione Peripat responsiones. Illarum euersiones. Cap. III.

Hipp. diuersis in locis lib. 5. de genit. de nat. pueri, & lib. 1. de diæta, & cum eo Gal. præcipuè primo de sem. existimarunt semen maris in se principium non modo effectiuum, sed etiam passiuum habere. neque solum in generatione fetus efficientis, sed etiam materiæ rationem subire; quamuis masculeum magis locum agentis, femineum vero magis patientis habeat. Habet autem rationem agentis, ratione partis spirituosæ, ratione vero corpulentæ, & crassæ, habet rationem materiæ. Statui pro hac sententia probanda, & stabilienda seriem, quam Gal. ipse in lib. de semine obseruauit, imitari. Ita enim studiosi maiori cum facilitate poterunt omnia, quæ allaturus sum, intelligere, & firmius retinere

retinere. Gal. itaque lib. primo de semine tanquam fundamentum suæ disputationis accipit. in fœminis, quæ concepturæ sunt, semen maris in vtero retineri, & nisi retineatur, conceptum nullo pacto fieri posse.

Hoc autem esse verum tribus modis deprehendit Gal. Primus fuit in equis, canibus, asinis, bobus, capris, ouibus, in quibus partim custodum horum animalium sibi inuicem consentientium confirmatione, partim propria, ac multiplici experientia deprehendit, omnia ea, quæcunque post coitum semen excreuerunt, nunquam concepisse; quæcunque vero retinuerunt, grauida facta fuisse. Secundus modus fuit in mulieribus ipsis, vt pote, quæ maximè id, quod in ipsis contingeret, non modo percipere posse viderentur, sed etiam illud ipsum explicare. Dixerunt ergo Gal. mulieres ab illo interrogatæ (& hoc quotidie etiam fatentur) vbi semen conceperunt, quæmdam se in vulua motionem sensiße, quæ quasi conuelleret, ac paulatim in se illam contraheret. ex quo, Gal. inquit, verisimile est, hoc ipsum, quod dicunt mulieres, semen concipere, & nomen conceptionis, à concipiendo à mulieribus fuiße impositum. sic Hipp. lib. de genit. inquit. Si
„ fœmina partus perita sit, & cognouerit quando genitura non ex-
„ cidit, tunc illa sciet, qua die intra se, ipsam concepit. Sic ancilla psaltria, de qua Hipp. lib. de nat. pueri, vbi sensit semen non exijsse, & vuluam ad semen contractam fuisse, dubitauit se esse grauidam, vt re vera erat. ex quo postea iussu Hipp. septies in terram desiliendo conceptum emisit.

Tertius modus, quem seruandum censuit Gal. vt cognosceret an semen in concepturis debeat in vtero retineri, fuit. vt integros libros auctorum, quicunque de hoc argumento tractarunt, perlegeret; & inuenit hos omnes hoc idem confirmare. Imò nonnullos eorum diligentiores, vuluarum etiam motum describere, quo ad semen contrahuntur, ipsumque vndequaque comprehendunt.

Quod cum rursus in dissectionibus sibi experiendum Gal. duxisset, multa deprehendit animalia prægnantia, in quibus omnibus vuluæ fœtibus prorsus cohærentes cernebantur, siue maiores, siue minores, siue penitus parui extitissent.

R Sed

Sed Gal. præter huiusmodi rationes aliter id conatur confirmare. ac primo testimonio, & auctoritate Plat. qui vterum veluti quoddam animal appetens procreationis esse docuit, atque illum propterea semen ad se se attrahere, illud auide complecti, & continere. Secundo testimonio ipsorum virorum, qui non raro in coitu euidenter percipiunt, illorum genitale tanquam à cucurbita ab vtero intro attrahi: quod præcipuè contingit, si coitus fiat proxime cessantibus menstruis, quo maximè tempore genituram vteri concipiunt. Hoc igitur sit futuræ disputationis solidum fundamentum iuxta Hipp. Plat. & Gal. si fœmina debet concipere, necessario semen maris in vtero debere retineri. Atque hactenus Ar. ipse ab Hipp. Plat. & Gal. non dissentit. Cum enim ex Ar. ostensum sit, semen principium motionis menstruo præbere; quomodo hoc efficere posset, nisi intus in vtero attraheretur, & retineretur? actio non fit in instanti. Si ex primo de gen. an. 20. & 2. eiusdem cap. 3. & 4. semen coagulo, menstruus sanguis lacti, proportione respondet, & coagulum permiscetur lacti, non ne etiam semen debet menstruo misceri? quomodo potest misceri menstruo, nisi in vteri cauitatem attrahatur, & retineatur? Sed
» hoc vel ex ipsius Ar. ore audiamus. Profusio autem non intus
» fit, vt quidam volunt: os enim vteri angustum est. Sed ante, quò
» fœmina mittit vaporem illum nonnullarum recrementum. eodem
» enim mas etiam mittit, quod fuderit; & aut ibidem manet se-
» men emissum, aut intro ab vtero trahitur, si calidus est, & modicè
» temperatus. Cuius rei indicium; quod locus, qui modo madebat,
» resiccatus mox sentiatur. & quod magis est, hoc idem confirmat
» exemplo quorundam animalium, subdens. Animalibus autem,
» quorum præcordijs vulua vingitur, vt auibus, & piscibus, qui ani-
» mal pariunt, ne semen illuc trahatur, sed profusum deueniat ip-
» sum impossibile est. Subiungit modum docens. Trahit genitu-
» ram hic locus suo calore. Menstruorum etiam decessio, & con-
» fluuium, fomitem in ea parte caloris parat. Itaque vt vasa non
» illita, calido diluta humore aquam in se trahunt, ore inuerso, ita
» attrahitur. Secundo de gen. an. 3. quamobrem an semper id fo-
» ras exeat (idest semen maris) quærendum non est, neque an pars
» sit vlla formæ constitutæ. Non semper, sed ne quidem semel

quærere possemus, an genituræ corpus foras exeat, si intus non attraheretur? quod intus non attractum, & retentum non fuit, foras exire non potest. Quid dicam de bono Auer. qui tantum tribuit virtuti attractrici vteri 2. collig. 10. vt sibi persuaserit vicinam illam suam scelestissimam, & impudicissimam potuisse concipere in balneo, in quo praui homines semen emiserant? quamuis ex alia parte nescio postea, quomodo bene sit concors cum suo magistro Ar. qui nuper citato loco voluit semen à calore vteri, non ab illius propria virtute attractrice, vt d. Auer. intus attrahi.

Constans ergo, & firmissimum hoc sit iuxta Hipp. Plat. Gal. & Ar. & suum fidissimum comm. Auer. si fœmina conceptura sit, necessario ab vtero intus semen maris attrahi, & retineri. Vtrum postea attrahatur à virtute vteri propria, & ab alia propria, retentrice dicta, retineatur, concurrente calore vteri in his actionibus, vt instrumento, quemadmodum asserunt Gal. & Plato; an vt Ar. à solo calore, iudicent studiosi. Et vt melius possint id iudicare, in memoriam reducant ea, quæ diuinè Gal. docuit lib. 1. de facult. nat. Iacto hoc fundamento, vlterius progrediamur, & cum Gal. ad Ar. ipsum veniamus, qui coagulato menstruo à semine, ipsum dissolui, ac in spiritum abire in vteris affirmat. 2. de gen. an. 3. vt adduximus in 1. cap.

Obseruamus in humidis substantijs, quæ in flatum conuertuntur, ex minima etiam earum quantitate maximam spiritus copiam constitui. & hoc in ventis ipsis clarum est, quicunque de fluminibus, ac paludibus, aut mari spirant, quales sunt, qui sinuales, & qui pelagij nuncupantur. Hi enim maximi interdum flant, vt pote, cum plurima eorum substantia ex minima humoris mole euaserit. Sicuti etiam qui è terra flant, hoc idem præseferunt, qui in copiosiorem aerem resoluta terræ vligine spirare consueuerunt. Sicuti ergo ventrem videmus, cum flatibus infestatur, quam plurimum intumescere, ac distendi, ac dolore afflictari; non ne etiam si in prima conceptione genitura in spiritum difflatur, vuluas ipsas in magnitudinem attolli, doloreque affligi necesse erat? At nil tale in his apparet. imò tunc minores, vt dictum est, minusque turgidæ cernuntur, & in nulla fœmina dolore affliguntur. Si voluerisque statim, vbi concepit animal aliquod, illud dissecare, ex

omni parte vuluam circa conceptum contractam, illique cohærentem inspicies; quod certè non inspiceres, si in ipsa flatus reperirentur. nam flatus impedirent, quo minus circa fœtum contrahi posset. Quòd si quis pro Ar. dicat, flatum ex semine genitum, per muliebre pudendum exire, atque ideò prohibere, ne vterus valde tumidus, atque distentus dolore affligetur. hoc refutatur. Nam quemadmodum ructus, & crepitus per os, & infernas partes expirantes, ostendunt flatus ex ventre euacuari; & ob id etiam tumor, & inflatio ventris remittitur. ita si per muliebrem cunnum flatus exirent, & id quidem perciperetur à mulieribus, & tumor ob id remitti appareret. at nullum vnquam istorum post conceptionem in aliqua integræ sanitatis, & quæ abortum non fecerit, aut maximum de abortu periculum non subierit, muliere contigit. Galenus 3. de nat. facult. 3. ex auctoritate Herophili, & Hipp. 1. atque experientia ipsa docet; concepto semine vteri os ita claudi, vt ne aciem quidem acus, aut specilli admittat. Quid ergo flatus in ventre, qui orificia adeò lata habet, cognoscuntur ex tumore, distentione, dolore, & præterea eorum exitu vel cum sonitu, vel sine; nullum vero horum in alicuius integræ sanitatis mulieris vtero vnquam apparet? An hæc omnia frequentia in vteris esse non deberent? Nullam ergo ne minimam probabilitatem habemus, cur in spiritum euadere geniturам debeamus existimare, non crepitus aliquos, vel cum sonitu, vel sine sonitu per vuluæ ceruicem expressos, non euidentem tumorem, non distentionem, non doloris alicuius sensum in conceptionis principio oborientem.

In his admodum ingeniosè à Gal. contra Ar. excogitatis exultant Medici, & penitus acquiescunt, vt possunt studiosi videre apud Oddum, & alios Neotericos, qui in hoc, de quo nunc agimus, argumento versati fuere. Sed si alijs à nobis non muniantur, non est, quod in illis exultent, & acquiescant. Ad hæc enim omnia paratissimas Ar. sectatores responsiones habent. Et primo dicunt eorum aliqui. Ar. non hoc solum affirmare, quod suppositum est in rationibus adductis, vt coagulato menstruo à semine, corpus ipsius in spiritum abeat, verum ita abeat, vt euanescat. Adeò igitur attenuatur versum in spiritum, vt insensibiliter, & latenter sensim ex vtero exeat, absq; dolore, tumore, distentione, & crepitu. At

tu. At contra nos sic instamus. Humidæ substantiæ in spiritũ conuersio, est actio merè naturalis. Si ergo corpulentia seminis debet in spiritum versa euanescere, magis rationabile est, vt antequam semen menstruum cogat, & immutet, illa euanescat, quam, postquam illud cogerit, & immutauerit. Nam repatitur semen, dum agit in menstruum, & obtunditur eius calor. at magis rationabile est, vt humida corpora à calore ita in spiritum uertantur, & attenuentur, ut euanescant, quando ille amplior est, quàm, quando imbecillior redditus est, imbecillior.n. calor habet uim eleuandi à rebus humidis uapores. amplior autem, illos uapores dissipandi. Cum ergo ob rationẽ dictam, post menstrui coagulationem calor seminis redditus sit imbecillior, sequitur, quòd corpulentia seminis in uapores conuertetur quidem, sed hi non dissipabuntur, & discutientur insensibiliter, adeò quod, absque dolore, tumore, distentione, uel crepitu, ut ex Gal. deduximus, euanescant.

Si dixeris non à calore seminis, corpulentiam illius in flatũ uerti, & dissipari, sed à calore uteri. Dicam ego uterum calidiorẽ esse propè coitum, quàm longius à coitu, quanto.n. minus coitus distat, eo magis seruatur in utero æstus, quem in coitu contraxit. Cur ergo corpulentiæ seminis in flatum conuersio, post coagulationem menstrui differtur? Turget propè coitum uterus spiritibus, quos ad ipsum in actu coeundi confluere plurimos concedunt omnes.

In considerationem etiam adbibeo. quòd seminis corpus lentum est. at quę lenta sunt, non possunt tota in spiritum conuerti. Sunt.n. lenta ob plurimum elementi terræ in ipsis perfectissimè permixtũ. at hoc non potest in spiritum conuerti. Semen ergo maris non potest in spiritum abire secundum eius partem terrenã. & hoc etiam
›› optimè cognouit Ar. 2. de gen. an. 2. His de causis (inquit ibi philo
›› sophos) semen quoq; exit quidem intrinsecus spissum, & albũ calo-
›› re interiore, multũ spiritus calidi continẽs. Sed egressum, ubi calor euanuit, et aer refrigeratur, humidũ nigrumq; euadit. remanet.n. aqua, etsi quid paruum terrenę portionis continetur; ut in pituita, (nota) sic in semine, cum siccesit. In pituita, dico ego, resolutis partibus tenuioribus, remanent quędam partes terrestres, & quæ in uaporem, & exhalationẽ conuerti nõ possunt; sic se res habet in semine per Ar. ut in pituita. ergo in semine non omnes partes illius

in exhalationem conuertuntur, atque ideò terrestres remanent. Neque recurrat quis ad illud, quòd Ar. loquatur de resolutione extra corpus. nam eadem est ratio resolutionis humidorum in corpore, & extra corpus. eodem enim modo vtrobiq; fit. resoluuntur scilicet partes tenuiores, remanentibus crassis. Quid ergo eueniet ò Peripatetici de parte seminis terrestri? Non me fugit, quid respondeat Cæsalpinus loco supra citato, eliciens, vt ego puto, re-
„ sponsum ex Auer. in com. super 3. cap. 2. de gen. an. Corpulen-
„ tiam scilicet seminis, postquam prima fœtus materia coagulatio-
„ nem adepta est, si quæ in flatum non fuerit extenuata, excerni vnà
„ cum humiditate menstrui in eam capacitatem, quæ relinquitur inter intestinalem, & ammion. Ita Cæsalpinus ad verbum scribit. At contra. Cur expelletur pars corpulentię, quæ in flatum non fuit extenuata, tanquam quid superfluum, cum reliquis excrementis inter allantoidem, & ammion, si accommodatissima materia est, vt in hoc, & sequenti cap. ostendetur, pro multis partibus ad fetum spectantibus generandis? Eius etiam quod dicitur à Cæsalpino nulla ab Ar. fit mentio; quid ergo, illum ne de incuria arguemus?

Verùm Conciliator diff. 36. sibi persuasit alio modo rationes allatas Gal. posse euitare, fictitiam quandam interpretationem ad dicta Ar. de mente Auic. ex 9. de an. adducendo. Ita enim interpretatur Ar. quod velit corpulentiam seminis in spiritum verti, non flatuosum; vnde euanescat, & transpiret extra vterum, sed in spiritum, qui sit instrumentum virtutis formatiuæ, formantem scilicet, & embryonis factorem. Hanc interpretationem videtur sequutus etiam doctissimus Fernel. 7. physiol. cap. 9. Fundamentum autem, cui innitur Conciliator ad afferendam talem interpretionem, vt mihi videtur, desumitur ab ipso ex similitudine, quæ est inter coagulum, & semen. Dicit enim Conciliator (& in hoc consentit cum eo etiam Albertus Magnus lib. 16 de an. cap. 13.) quòd coagulum non coagulat lac per virtutem suam, nisi subtilietur in spiritum. nam is postea penetrans per totum lac, & secum habens virtutem coagulantem, lac densat, & coagulat. Dicit enim quòd virtus coaguli non imprimitur lacti, nisi vaporatione coaguli fulcita. Vnde Albertus Magnus asseris. Coagulum esse

sicuti

ſicuti ſpiritum coagulantem. A pari ergo. ſi ſemen debet menſtruum coagulare, vt in ſpiritum vertatur neceſſe eſt. Videant ſtudioſi, quam ſibi fugam paret Conciliator, vt rationes Gal. adductas euitet. Fugæ huius ab aliquo, qui in argumento, quod prę manibus habemus, verſatus ſit, mentionem vllam factam fuiſſe, hactenus vidiſſe mihi non licuit. Experiamur nos, an aditus ita occludere Conciliatori poſsimus, vt neſciat quò ſe recipere. Meo igitur iudicio in hac expoſitione ſunt multi errores. Sed antequam illos detegam, oportet inueſtigare quid Ar. per corpulentiam ſeminis intelligat. Conſtat ſecundum doctrinam etiam Ar. 2. de gen. an. 2. ſemen ex duplici ſubſtantia. altera aerea, & ſpirituoſa, altera aquea, & humida cum portione aliqua terreſtri mixta. quando igitur quærit Ar. quò nam vertatur corpulentia ſeminis, quando facultate in ſemine contenta agit, & determinat corpulentiam illius in ſpiritum verti, & euaneſcere, intelligit ne ſemen & ſecundum eius partem ſpirituoſam, et ſecundum aqueam in ſpiritum verti, an vero ſecundum aqueam, & humidam tantum? Abſurditas quædam eſt exiſtimare Ar. voluiße partem ſpirituoſam ſeminis in ſpiritum verti. nam ſic ſpiritus in ſpiritum verteretur. ergo intelligit Ar. aqueam tantum partem ſeminis in ſpiritum verti. Clarè quoque hoc ex verbis Ar. elicitur. Cauſam enim reddens Ar. cur corpulentia ſeminis in ſpiritum vertatur, & euaneſcat; dicit quia humidam, aquoſamque naturam habet. ergo pars aquoſa in ſpiritum vertitur, non ſpirituoſa. ergo per corpulentiam ſeminis, per ſeminis corpus, Ar. intelligit aquoſam, & humidam partem ſeminis.

Primus ergo Conciliatoris error eſt; quòd illud, quod Ar. pronuntiat de corpulentia ſeminis, Conciliator interpretatur de ſemine. at valde differt dicere ſemen, & curpulentiam ſeminis, vt nunc oſtendi.

Secundus error eſt; quia iuxta hanc expoſitionem, ſi ſemen debet coagulare menſtruum, ſi debet virtus ſeminis per menſtruum difundi, oportet, vt prius in ſpiritum vertatur, qui poſtea penetrans per menſtruum, & ſecum vehens virtutem coagulantem, ipſum cogat. At ſtatuunt qui partes Ar. tuentur, vt licet videre in reſponſione Cæſalpini ſupra allata, & ex Auer. in com.

loci

loci Aristotelici, prius coagulationem menstrui à parte spirituosa seminis fieri, deinde corpulentiam illius in spiritum verti.

Tertius error est; quia faciamus, quòd Conciliator per semen intelligat corpulentiam seminis, adhuc plurimum defecit. nam cum corpulentia seminis sit lenta, & viscida (vt experientia constat) atque ideò portionem terrenam in se habeat, impossibile est, vt tota in spiritum conuertatur. attamen Conciliator absolutè pronuntiat de ea, quòd in spiritum vertitur. ergo elicitur Conciliatorem velle totam corpulentiam seminis in spiritus conuerti. quòd si tota non conuertitur, cur non explicauit. Conciliator, quid de ipsa coagulato menstruo eueniat? quod nam concilium est hoc?

Quartus error est. quia quamuis coagulum subtilietur, vt dicit Conciliator, & spirituosum reddatur, attamen dicitur coagulum coagulationis lactis causam esse, & lac coagulare. At Ar. omninò negat corpulentiam seminis causam esse generationis, & per consequens menstrui coagulationis. Reliquerat equidem sub dubio Ar. 1. de gen. an. 19. vtrum seminis corpus sit causa generationis, an habitum aliquem, & principium motus genitale obtineret. Non immemor suorum dictorum statuit in primo cap. 2. de gen. an. semen motum habere, & principium tale, vt motu peracto pars quæque existat. Quocirca clarè ex ipso elicitur non corpulentiam seminis, sed facultatem, & principium motus, quod in se ipso continet, generationis causam esse. Quemadmodum ergo dicunt aduersarij, & communiter omnes, coagulum lac coagulare, & tamen per aduersarios in spiritum conuertitur: Sic possemus dicere per eosdem corpulentiam seminis causam generationis esse, licèt in spiritum abeat. At Ar. in primo secundi de gen. an. huic contrarium statuit, vt iam vidimus. absolutè enim corpulentiam seminis causam generationis esse negauit, & statuit illius causam, eßе facultatem in semine residentem. Fac corpulentiam concurrere ad generationem, ad menstrui coagulationem, versam tamen in spiritus, negandum ne est simpliciter ipsam non concurrere?

Quintus error est. quia verba Ar. in quibus declarat corpulentiæ seminis in spiritum conuersionem, repugnant interpretationi Conciliatoris. Verba Ar. sunt in 3. cap. 2. de gen. an. vt supra

pra dictum eſt. Sed antequam illa afferam pro maiori eorum intelligentia altiuſculè exordiendum mihi eſt. Poſtquam ergo Ar. determinauit in primo cap. 2. de gen. an. id, quod ſub dubio reliquerat cap. 19. primi lib. ſemen ſcilicet non corpulentia ſua, ſed virtute, quam in ſe habet, & ab eo, à quo genitum fuit, accepit, conceptum formare, nullamque eſſe rei genitæ partem; & patefecit in ſecundo cap. quæ ſit natura eiuſdem ſeminis, in tertio ſtatim dubitans quæſiuit; ſi ſemen nulla ſit pars eius, quod in vtero gignitur; quando facultate in eo contenta agit, in quam illius corpus naturam aliam conuertatur? Quæſito verſus finem illius tertij cap. ſatisfacit philoſophus ita ſcribens. Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum vnà prouenit, partim inſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur, partim ſeparabile, hoc in quam genituræ corpus diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit, cum naturam humidam, aquoſamq; habeat. Quamobrem an ſemper foras exeat, quærendum non eſt, neque an pars vlla ſit formæ conſtitutæ. quomodo nec de ſucco, à quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit. nam is quoque mutat, & nulla pars conſtitutæ magnitudinis eſt. Hæc ſunt verba, quæ ita interpretatur de mente Auic. Conciliator; vt in illis velit Ar. ſemen in ſpiritum formantem, & factorem (vt ipſe dicit) embryonis tranſmutari. Perpendamus ea diligenter. Ar. ergo reſpondendo ad quæſitum iam recitatum pronūtiat quatuor de corpulentia ſeminis. Primum pronuntiatum eſt. quòd diſſoluitur. Secundum quòd in ſpiritum conuertitur. Tertium quòd euaneſcit. Quartum eſt, hæc ita contingere. quia humidam, aquoſamque naturam habet. Corpus ergo genituræ per Ar. humidum, aquoſumq; exiſtens, non ſolum in ſpiritum conuertitur, verum etiam euaneſcit, ò bone Conciliator. ſi ſolum dixiſſet Ar. illud in ſpiritum conuerti, forſan interpretatio tua, & Auic. aliquid valeret, quòd ſcilicet conuertatur in ſpiritum generantem, & embryonis factorē. poſſes. n. vocabulum ſpiritus interpretari de quo ſpiritu tibi placeret. Sed dicit Ar. præter eius in ſpiritū conuerſionē, illud euaneſcere. prҿter. n. eius in ſpiritum conuerſionem, addit euaneſcentiam. ergo intelligit Ar. quod per meatus cҿcos exhalet, neq; vllo pacto in conceptu remaneat, neq; .ſ. ſub forma ſpiritus.

„ *Vis videre hoc esse certissimum? Considera illa verba. cum naturã*
„ *humidam, aquosamque habeat. Heus bone Conciliator in quem spiritum conuertuntur corpora humida, & aquosa? in spiritum formantem, & viuificum, an in vaporem, & flatus? Fauet meæ expositioni Auer. Io. Gram. Suessanus, Iulius Castellanius, Gal. Valesius, Cæsalpinus, vt innumeros eminentissimos viros sileam.*

At consideremus interpretationem Conciliatoris, non in respectu ad verba Ar. sed simpliciter in se. & hic est maior error cæteris. Quid opus est, ò Conciliator, vt pars corpulenta seminis in spiritum vertatur, si copiosissimis spiritibus semen turget, qui soli satis esse possunt pro instrumento virtutis fętus formatiuæ? & multo magis, si necessaria est pars illa pro generatione multarum partium, quas nullo modo ex menstruo, vt tu vnà cum Ar. statuis, generari poße euidenti demonstratione infra patefaciam? Si igitur corpulentia seminis vtilis materia est pro generandis multis fœtus partibus, cur illa in spiritus verti debet?

Sed relictis Conciliatoris nugis, demus cum Gal. si uis, ò studiosè lector, etiam hoc ipsum fieri posse, vt coagulato menstruo in spiritum conuertatur genituræ humor, sensimque, ac latenter exeat, vt nullum vel tumoris, vel doloris, vel sonitus vestigium relinquat, vt re vera fuisse Ar. mentem credimus; atque ab ipsa rei natura progredientes ratione magis agamus. Quærit ergo Gal. vtrum in ipsa vteri cauitate menstruum contineatur, idque collectum occurrens semen impellat, motionisque principio indito ex vulua excernatur versum in spiritum? an eo tempore, quo fœmina cum mare coit, per vasa eò pertingentia semini obuium fiat, dum vim illam ab illo suscipere concupiscit? Sed vtrunque istorum absurdum eße Gal. demonstrat. Nam secundum doctrinam Ar. sanguis in cauitate vteri collectus contineri non potest. Docuit ipse 2. de part. an. 3. & 3. eiusdem 4. sanguinem in nullo alio, præter cor, membro extra venas contineri. Sanguis ergo in vteri cauitate collectus non erit amplius sanguis, sed concretus sanguis, quem thrombom Greci vocant. Concrescit enim præter quam in corde, continuò sanguis, cum in animali è venis in quamcunque cauitatem exciderit. quare non ex sanguine, sed ex concreto sanguine hoc modo animal fabricabimus; quod quàm sit absurdum nemo

non

non videt. Ex ijs etiam, quæ ex Ar. in 1. cap. attuli patet, ne per insomnium quidem ipsi potuisse in mentem venire, sanguinem menstruum collectum in vtero contineri posse, dum semen pro conceptione in illum attrahitur. Si vero semini occurrere sanguinem dicamus, necesse proculdubio erit occursum illum, & coitum vtrorumque in orificijs vasorum contingere. Quod si est; vtrum concedemus dispertitum ne in tot particulas, quot sunt vasorum orificia, an sibi ipsi continuum permanens semen cum menstruo couniri? Prius illud videtur admodum difficile: partim quòd huiusmodi seminis distractio, & diuisio non conuenit illius naturæ, quod omnes concedunt, & confirmat experientia esse lentum, & viscidum, adeò vt difficulter possit in varias partes distribui. partim quòd foret necesse aliam certam causam inuenire, quæ tanquam præses quidam semen diuideret, & ad singula orificia sigillatim traduceret. Quamobrem id restat, vt semen secunda ratione sanguini menstruo copuletur, quod naturæ seminis conuenientius est, neque præter vuluæ attractionem, & seminis eiaculationem, vllam aliam efficientem causam requirit. Quod si est. Quærit Gal. 1. à quo proueniat, vt sanguis in vuluam excidat, qui in singulis venarum orificijs cum semine commiscetur. Deinde à quo in vnum omne illud corpus congregetur. Tertiò quomodo totus hic sanguis in spacio pauci temporis extrinsecus membranæ operiatur. Membrana si quidem apparet, quæ fœtum ipsum statim, vbi primum conceptus est, siue multorum, siue paucorum sit dierum, vndequaque circundat, ac continet. Sæpenumero enim mulieribus post tres, aut quatuor dies à principio conceptus, semen ipsum membrana circumuolutum excidere consueuit. quod idem poteris in animalium dissectionibus manifestè deprehendere. vuluam si quidem totam ad semen contractam, ipsique semini membranam circumiectam euidentissimè inspicies. & hoc etiam Hipp. confirmauit lib. de nat. pue. sic scribens. Quomodo vero genituram sexto post die viderim narrabo. Mulieris ancilla psaltria quædam erat insignis, quæ ad viros ventitabat; quam quidem non oportebat in ventre concipere, ne uilior redderetur. Audiuerat uero hæc psaltria, id, quod dicere inter se mulieres consueuerunt. Vbi uidelicet mulier conceptura est, non amplius exire

„ viri semen, sed intus contineri. Hoc igitur cum audiuisset, animaduertit, semperque obseruauit: & fortè vbi sensit semen non exijsse, hæræ manifestauit. Quod eum ad aures nostras peruenisset, iussimus ipsi in terram desilire, at illa septies ferè id fecit, & genitura non sine strepitum quodam excußa, in terram defluxit: quam cum mulier vidisset, inspexit, atque admirata est. Qualis autem fuerit, ipse dicam. Perinde erat, ac si quis crudi oui exterius putamen detraheret, vt per interiorem membranulam, interior humiditas pelluceret. Hæc Hipp. inquit manere intus semen, membranamque circundari testatus. Sed introducamus nos Ar. ipsum singulis illis tribus quæsitis à Galeno propositis respondentem. Ad primum ergo, & secundum quæsitum respondere potest; vt ex ijs, quæ de mente illius attuli in 1. cap. patere potest. semen ab vtero in cauitatem suam attractum, calore proprio in eandem sanguinem menstruum attrahere, & cogere. semen vero vim habere sanguinis attrahendi, clarè fatetur etiam Gal. ipse lib. 1. de semine (ne longè abeam) cap. 6. Restat ergo solum videre quid respondere possit Ar. de generatione membranæ, quæ sanguinem menstruum in vnum congregatum circum amplectitur, & continet. Si enim inuenerimus ipsum non posse reddere rationem generationis huius membranæ, falsam illius positionem esse colligere licebit. Comparemus ergo modum generationis membranæ conceptum circum amplectentis ab Ar. assignatum, cum modo à Galeno ipso excogitato. Integram autem Ar. orationem, quam supra cap. 1. attulimus, transcribamus. Scribit ergo Ar. 2. de gen. an. 4. Cum autem excrementum fęminæ in vtero constiterit à maris genitura, quæ simile facit, vt lactis coagulum. Coagulum enim lac est continens calorem vitalem, qui partes similes ducit eodem, vt vnit, atque constituit. & genitura ita se habet ad menstruorum naturam. eadem enim natura lactis, & menstruorũ est. Itaque coactis iam partibus, corpulentus humor excernitur, obduciturq; circum, parte resiccescente terrena membranæ, tum necessario, tum etiam alicuius gratia. Nam & calescentis, frigescentisue rei externa siccescere necesse est, & animal non in humido, sed seorsum contineri oportet. Ex hac oratione patet secundum Ar. membranam, quę fętum inuoluit, & vtero adhæret, à Medi-

cis

eis chorion vocatam, nec non & cæteras membranas, generari ex corpulenta menstrui portione ad extra pulsa, atque à calore conceptus, & vteri siccata. ab omnibus enim corpulentis, quæ terreo participant, cum à calore calescunt, humiditas exhalat. quapropter siccescere ea oportet. Modus vero, secundum quem membrana chorion secundum Gal. doctrinam in 1. de sem. 4. generatur, est iste. Dictum est secundum auctoritatem Plat. vterum esse veluti animal appetens procreationis, atq; iccirco ad se se trahere semẽ, illudq; complecti, ac continere. quo tempore ergo continuum sibi ipsi permanens semen ob suum lentorem, à vulua attrahitur. cum ab omnibus eius partibus simili modo appetatur, extenditur, ac dilatatur, ita vt totam internam vteri superficiem attingat. Cum igitur lentum, ac crassum sit, calidoque corpori adhæreat, facile assequitur, vt membranam contrahat; non aliter, quam pultis aliquatenus liquidæ supra instrumentum aliquod latum, & calidum extensæ, exterior pars illud instrumentum tangens crustulam contrahit. Aduertendum autem hic est, non esse credendum Gal. in his verbis uelle membranam chorion à solo vteri calore fieri, non concurrente facultate seminis formatrice, vt imaginatus est Conciliator diff. 37. nam hoc falsum est, & inimaginabile, neque videtur id ex illius, in nuper citato loco, verbis elici posse. Tanto enim artificio venæ & arteriæ per chorion membranam distribuuntur, vt nullus imaginari possit absque concursu formatricis facultatis membranam illam generari. Adde vero Gal. expressis verbis affirmare 2. de nat. facult. cap. 3. semen membranam illam induere ope facultatis formatricis. Neq; huic determinationi repugnat Ar. in nuper citatis verbis, si quis illis attentè animum adhibuerit. Videtur autem Gal. generationem prædictæ membranæ ab Hipp. ipso accepisse. Nam ipse in princ. lib. de nat. pu. docet genituram calefactam, & inflatam pellicula circumdari, vt panis, dum torretur, crusta quadam obducitur. Ita ergo Hipp. & Gal. intelligendi sunt, vt similitudine, & exemplo rem, alioquin obscuram, declarare velint. quasi velint dicere. quemadmodum panis, vel puls crusta quadam, ita conceptus pellicula circumdatur. modum autem generationis omninò similem esse nolint. qua in re ablego studiosos lectores ad doctissimum Andreã

Lau-

Laurentium lib.2.op.anat.q.27. Quod dictum autem est de generatione membranæ chorion, idem dicendum est de alijs membranis. Quis ex his duobus modis uidetur tibi, humanissime lector, probabilior? uel potius, quis tibi ex his uidetur stare posse? Mihi certè uidetur modus Ar. nullo modo admittendus. Substantia membranæ chorion, ut etiam aliarum, ductilis, tenax, extensibilis debet esse, & est. Nam cum fetus crescit diuelluntur, & extenduntur multum, pro diuersis motibus ipsius in utero. membranæ omnes crassæ, & albæ sunt substantiæ. quomodo ergo possumus imaginari, ex sanguine menstruo membranas illas generari, qui penè nullius lentoris est particeps, qui friabilis est, minimè ductilis, qui minimè in latum, & alias dimensiones distendi potest? quomodo, si talis est, in membranam extensibilem, dilatabilem, & tenacem euadere potest? si sanguis menstruus est ruber, cur membrana chorion non est rubra, sed alba? cur non attestatur naturæ eius, ex quo gignitur? orta attestantur suis principijs. An non magis apta, & conueniens materia erit corpus seminis, quod crassum, lentum, uiscidum, album est? An non multo minore labore semen huiusmodi qualitatibus præditum in membranam à natura transmutabitur? Hæc omnia de alijs membranis dicenda sunt. Sed uideo Peripateticos responsuros: Quòd membranæ processu temporis sui nutritione augentur, et ad magnam perueniunt quantitatem, & tamen seruant naturam membranarum, extensibilitatem, tenacitatem, crassitiem, albedinem; & tamen dum augentur, nutriuntur sanguine menstruo. ergo sanguis menstruus est accommodata materia, ex qua partes tenaces, & extensibiles possunt generari, & albæ. Hæc responsio equidem est ipsius Auer. 2.collig.10.& 1.de gen.an.com.ultimo, ut apparet ex decima ratione adducta pro Ar. sententia in sup.cap. Dicit enim in his duobus locis Auer. non differre materiam generationis, & nutritionis, neque auctionem à generatione, nisi quia auctio est generatio in partibus; & procreatio est generatio uniuersalis. Unde concludit, quòd si sanguis est sufficiens ad nutrienda omnia membra, proinde etiam augenda; (nam auctio non nisi nutritione mediante fit) est etiam sufficiens pro ipsorum generatione. At contra. Nutriuntur quidem post primam earum generationem membranæ con-


uæ conceptum inuoluentes, ſanguine menſtruo ex utero attracto. Sed illo non nutriuntur, niſi ex tenui, in craſſum, ex liquido, in uiſcidum, ex rubro, in album mutetur. Vnde non mirum ſi extenſibilitatem, craſſitiem, & alias ſuas qualitates ſeruant. ergo & in prima generatione membranarum, ſi ex ipſo debent illæ generari, ut mutationes illas ſubeat neceſſe erit: At ad quid natura laborabit in tranſmutãdo menſtruo, ut lentum, craſſum, album euadat, ſi in utero præſtò habet ſeminis corpus huiuſmodi qualitatibus præditum? Cur in ſumma in utero ex ſanguine menſtruo contendet natura ſemen generare, dum contendit ex ipſo membranas formare, ſi ſemen in vtero paratum habet? Natura nunquam facit per plura, quod æque bene poteſt facere per pauciora. Ad reſponſionem Perip. & Auer. dico. Membranas habere lentorem, & tenacitatem, & reliquas qualitates in prima ſui procreatione. Vnde dum poſt primam earum conſtitutionem nutriri, & augeri incipiunt, & perſeuerant, ſanguinem ſuæ ſubſtantiæ ſimilem reddunt. Non mirum ergo ſi tales ſeruantur, dum magnitudinem acquirunt, quales in prima ſui conſtitutione erant.

Dicet aliquis cur natura inſtituit membranas (& quod dicimus de membranis, dicatur de cæteris partibus albis, & exanguibus, ut in altera ſubſequente ratione apparebit) nutriri ex ſanguine, qui tanta indiget ſui mutatione, ſi debet in nutrimentum illarum cedere, & non potius inſtituit ſuccum, qui à ſubſtantia illarum non eſſet adeò diuerſus? An ſanguis non ſolum inſeruit pro nutritione membranarum, & reliquarum exanguium partium, ſed etiam uiſcerũ principalium, & omnium rubrarum partium? Elegit ergo natura ſanguinem, ut ſuccum, qui commodè his, & illis pro nutrimento inſeruire poterat. Inſtituit autem, ut ex ſanguine ſemen generetur, & hoc poſtea in uterum eiaculetur, ut minore labore in utero partes quaſdam, ut ſunt membranæ, & cæteræ exangues, ex illo generet. partes autem quædam ex ſemine generari debebant, partim quidem, quia apta inſtrumenta naturæ operationibus ex alia materia formari non poterant, ut uiſum iam eſt, & adhuc magis in ſubſequenti cap. clarum fiet; partim, quia non poterat natura pro duratione animalis formandi calorem in partibus illius implantare, adeò, ut per multum

tempo-

temporis in illis conseruaretur; nisi ipsum fundaßet in humore viscido, & tenaci, à quo non posset ita facile transpirare; talis autem semen est. Natura porro nutrit membranas, & cæteras exangues partes ex sanguine, illum prius mutando in semen (Cum enim sint ex semine, ex semine quoque nutriri debent, si eadem est materia generationis, nutritionis, & auctionis,) in formandis autem ipsis, hunc laborem conuertendi sanguinis in semen non subit; quia in nutritione ipsarum non habet promptum, nisi sanguinem; sed in illis formandis, in vtero promptam habet semen. Quæ prouidentia ergo esset naturę, quæ in vtero haberet promptum semen pro illis formandis, attamen illud omitteret, & quæreret ex sanguine illas formare, & ex ipso non posset illas formare, nisi prius ipsum in semen transmutaret?

Concludamus ergo. Cum semen in vtero attrahatur, & retineatur, in spiritumque secundum eius corpulentiam verti non posit, & extra vterum euanescere, necessarium eße ipsum, secundum illius corpulentiam, in utero tanquam materiam partium ad fœtum spectantium retineri.



Altera

Altera Gal ratio. responsiones Peripat. illarum confutationes.
Cap. IIII.

Consideremus pro secunda ratione simul cum Gal. prima de sem. 5. eas partes, quas Medici solidas, radicales, & semi-
ales vocant, exempli gratia venam, arteriam, neruum, tanquam com
nunia instrumenta. Quærit Gal. ab Ar. ex qua materia huiusmo-
li instrumenta gignantur? Ille autem respondet, vt supra patefe-
i, illa ex sanguine fieri. Sed contra Gal. arguit istud minimè fieri
osse. Cum enim huiusmodi instrumenta sint alba, exanguia, caua,
onga, & satis magnam distentionem admittant, nullo modo viden-
ur posse generari ex materia rubra, tenui, liquida, quæ neque in-
endi, neque in modum fistulæ perforari possit; cum illa magis re-
uirant materiam albam, craßam, lentam, quæ longius distrahi, &
erforari valeat. Propterea concludit Gal. huiusmodi partes non
x sanguine, tanquam materia ineptißima, sed ex semine omninò fie-
i, tanquam ex materia, quæ omnes iam dictas qualitates obtinet.
Hic vidit Gal. Peripat. quandam sibi fugam parare. Se igitur il-
is opponit. Fuga hæc est. Partes dictas fieri quidem ex sangui-
e, sicuti carnem, & reliquas corporis partes, sed diuersa planè ra-
ione. Siquidem cæteræ corporis partes sine pluribus transmuta-
ionibus proximè ex sanguine generantur, solidæ autem fiunt ex san-
uine, qui minimè propriam substantiam, formam, & colorem reti-
et, sed multas antea transmutationes subijt. Hanc responsionem
na cum Ar. irridet Galenus. Petit ergo ab Ar. cum mutatur san-
uis pro generatione solidarum partium, nunquid è rubro mutetur
n album, è tenui, in crassum, è liquido in lentum? Quod si hoc est.
sitorum motuum, quos ascribendos illi Ar. testatur, oblita natu-
a esset; frustraque in hoc laboraret, cum sanguinem tale efficere
naretur, quale à principio semen ipsum habebat. at natura nil fru-
tra facit. Cur igitur sanguinem contendat in substantiam albam,
raßam, lentam transmutare, si semen huiusmodi substantiæ est?

Non negat igitur Gal. per multas transmutatinnes sanguinem in venam, arteriam, & neruum poße euadere. Nam hoc negari non potest. si quidem ex sanguine partes solidæ omnes nutriuntur, & augentur. Sed nutriri, & augeri non possunt, nisi sanguis in earum substantiam conuertatur. at in prima earum generatione hoc contingere poße negat. Si quidem in prima earum generatione natura multo magis accommodatam habet materiam pro illarum generatione, quam sit sanguis; talis vero materia est semen. Quòd si sanguine nutriuntur, & augentur, neceßarium est, vt illum in natura seminis conuertant, antequam eo augeantur; vt potè in materiam proximam, ex qua ipsæ constant. quæ omnia in calce sup. cap. clare & exactè explicata sunt. Ex hac ergo altera ratione habemus semen maris materiam fetus eße.

Andræas Cæsalpinus vir certè eruditus, & subtilis lib. 5. Peri quæst. q. 2. ad hanc fortissimam certè Gal. rationem duo subterfug excogitauit; quæ, quia studiosis possent imponere, illa omittere null modo debeo. Non moratus autem sum in alijs recensendis, quæ h vir pro iam allatarum rationum solutione attulit, quia cuique v mediocriter perito, & optimè fundamenta nostra intelligenti, facill mum est eorum inefficaciam detegere. Volo autem describere inte gram huius viri orationem, ne forsan alicui videri possit, me muti illius responsa attuliße. Scribit ergo. Ad alteram dubitationem quæ ostendit sanguinem menstruum materiam ineptam esse ad pr mam partium constitutionem, quia & crassior sit, & minime tenax nec alba. Concedimus totum illum sanguinem, qualis excerni sol per purgationes menstruas, non esse primam materiam animalium sed eius partem, quam seligit natura trahens per arterias ex vte arterijs. In his enim continetur concoctum, sincerissimum, primum que alimentum, ex quo nobilissima quæque partium constituatur. e cuius excremento ossa, & neruos fieri testatus est Ar. 2. de gen. an cap. 4. Quòd autem putent partes albas ex alba substantia fieri e necessitate, rubeas ex rubra, nulla ratio est. Cum enim transmuta tio fiat alimenti secundum substantiam, quid prohibet etiam fieri se cundum accidentia? At partes rubeas ex non rubeo fieri patet in ouorum conceptu. In ortu enim pulli, oritur sanguis ex non sangui ne, tum ex albo, tum ex luteo. Parcat mihi doctissimus, & acutus h

vir.

vir. aut vim rationis Gal. se non intelligere fingit; aut re vera illam non intelligit. Scio etiam ego: quòd cum trasmutatio fit sanguinis secundum eius substantiam, fit etiam secundum accidentia illius, atque ideò secundum illius colorem. Sed dico ego; quòd si debet sanguis ammittere, non simpliciter colorem, sed colorem, ita vt, proximè mutandus sit in partes albas; hoc non potest fieri, nisi per plures secundum substantiam mutationes, vt etiam norunt Peripat. quemadmodum vidimus supra. Cur ergo natura laborat in transmutando sanguine pluribus secundum substantiam mutationibus, pro generatione illarum partium; si habet materiam promptam, quæ non indiget tot transmutationibus, quæ materia semen est? Cur laborat, vt sanguinem in semen transmutet in vtero, si semen in eo promptum habet aliubi genitum? Frustratoria ergo est huiusmodi substantiæ sanguinis transmutatio pro generandis partibus solidis, & albis. Si vero dicerent Peripat. sanguinem ammittere colorem in nutritione partium albarum. Iam diximus mutare colorem. quia ipsum illæ partes in semen conuertunt, tanquam in materiam earum proximiorem; deinde hoc sibi ipsis penitus assimilant, & in earum substantiam conuertunt vt manifestauimus in calce sup. cap. Non possunt ergo Peripat. argumentum deducere; quòd si partes albæ sanguine nutriuntur, ex sanguine etiam generentur; Nam nutriuntur sanguine conuerso tamen in semen; cum ex semine genitæ sint, quemadmodum iam monstratum est. Exemplum vero, quod adducit de ouo, clarè contra ipsum Cæsalpinum facit, & ipsum conuincit. Nam partes rubeæ ex luteo oui, albæ ex albumine fiunt, vt dixi in fine primæ partis huius disputat. at oui luteum ad colorem rubeum accedit; & licet non sit sanguis, leui tamen mutatione in sanguinem vertitur. vt patet si quis frangat oua, quæ per biduum vel paulo plus gallina cubarit. Sed orationem Cæsalpini prosequamur. Alterum subterfugium ponit ita scribens. Præterea quid impedit, quo minus ex materia menstrui excrementi, quamuis rubea, seligatur pars alba? inesse enim albedinem sub rubedine omni sanguini patet per eius ablutionem. præcipuè si ex muliere mittatur sanguis in aquam calidam. Nam non multo post, rubedine abluta, coit substantia alba, ac pituitosa. Esse autem pri-

„ mam materiam animalium, pituitam in menstruo excremento
„ contentam, aperuit Ar. primo de gen. an. cap. 18. Pituita enim
„ alimenti vtilis excrementum est; ideò alere potest. Non ergo ex sanguine creatur animal, sed ex sanguinis excremento. quod enim in matris corpore perfici nequiuit, perficitur in corde fetus. Prætermittamus quærere an hæc sint ad aures philosophi. Quæro quomodo hæc consentiant cum ijs, quæ in primo subterfugio dicta sunt. Nam ibi dictum est, partem sanguinis, quam seligit natura trahens ex arterijs vteri, esse materiam fœtus: Hic seligitur pro materia pars sanguinis pituitosa: Sanguis arteriosus non est pituitosus: est calidissimus, tenuissimus, ni me mea philosophia fallit; quomodo ergo pituitosus? quæ pars alba potest seligi ab illo? Deinde cur est, quæso, quòd tantopere Cæsalpinus laboret in inuenienda in sanguine menstruo materia alba, si in vtero in conceptione corpulentiam seminis habemus albam, & ad generationem fœtus aptissimam? Potest certè ab hac inuestigatione supersedere. Imaginatur etiam hic vir, cor fœtus perficere pro generatione partium, sanguinis portionem pituitosam, quæ in corpore matris perfici nequiuit. Videbat enim Cæsalpinus quantum laboris impenderet per hanc suam positionem ipsi naturæ, quæ ex inconcocto, & frigidissimo succo partes albas generare debebat, cum inconcocti succi à natura regi haud valeant, antequam concoquantur. At hæc est imaginatio falsa. Nam prima stamina cordis fibrosa, quæ sunt illius fundamenta, sunt alba. ergo ex materia alba generantur. à quo ergo materia illa alba perficietur, si nondum cor fœtus est formatum, sed prima tantum illius stamina delineari incipiunt? Requiritur hic vt studiosi sciant quæ sint partes, quæ primæ in fœtu generantur, & modum, quo cor, & reliqua viscera generari incipiunt. Pro quorum resolutione recurrant ad Gal. lib. de fœt. format. cap. 5. & ad doctissimum Andream Laurentium 2. op. anat. quæst. 26. & duabus sequentibus. tantisper etiam tolerent, donec ad cap. 6. huius secundæ partis deueniamus. quod enim ibi de generatione iecoris dicemus, idem de cordis, & reliquarum partium generatione dicendum erit.

Sed denuò hic se opponit nobis Conciliator. Nam vel ex verbis

bis ipsius Gal. putat se probare arteriam, venam, neruum, & alias partes exangues ex sanguine, non ex semine generari. Verba sunt in 3. c. 2. lib. de facultatibus natur. Scribit ibi Gal. Natura nullius materiæ veterem formam seruat: quippe ita sanguis essent cunctæ animalis particulæ, is scilicet, qui à matre confluit ad maris semẽ vna vniusque formæ materia, ceræ vice artifici subiecta. Nulla vero animalis partium pro ea ratione ex hac, rubra, humidaue efficitur. siquidem os, cartilago, arteria, vena, adeps, glandula, membrana, medulla, exanguia quidem sunt, ex sanguine tamen facta. Et paulo infra. hæc alia leguntur. At quid erat semen? principium animalis efficiens: materiale namque menstruus est sanguis. Ex his duobus locis habemus partes exãgues ex menstruo gigni, & semen esse efficiens. Hanc in Gal. dictis repugnantiam adducit quoque doctissimus Andræas Laurentius lib. 2. op. anat. q. 17. Sed vt ingenue fatear parum in ea est immoratus, & quam breuissimis verbis se ab illa expedit, quamuis meo iudicio res sit digna exactiori examine.

Iulius Alexandrinus vir Gal. valde addictus, de eoque certè optimè meritus, ob pugnam aduersus Argenterium pro ipso susceptam, in suis annotationibus hanc in Gal. scriptis repugnantiam difusè tollit sic scribens super primam allatam orationem.

Ad hominem argumentum, quod dici solet, hoc erit: quippe ex Ar. familia Erasistratus, cum quo nunc Galeno res est, non negaturus (quia Ar. quoque ita senserit,) ex sanguine ortum suum ducere ista. quæ cum tam à sanguinis natura diuersa sint, necessario ex magna immutatione, & alteratione talia fient: vt propterea virtutem, ac facultatem (quod ille volebat) hæc ipsa effecta reddentem, in semine locatam supponere sit pernecessarium: semen enim effectoris, formantisque vim retinet apud Ar. vt materiæ vicem menstruum. Ex concessis igitur habebitur argumentum hinc. Nam re vera ex semine procreari cuncta hęc, vtique ex idonea maximè ad id materia, edocti sumus à Gal. alibi quod ipsum tamen, semen inquam, ex sanguine est. vt si hoc iam nomine alio quodam modo ex sanguine rursus oriri quis hæc dixerit: quia ex sanguine semen, ex quo demum hæc, non pessimè dixisse existimandus sit. Sed & ob id, quòd pauca sit,

quæ

» quæ in vterum proijcitur, seminis quantitas, ipsum autem interea » ex sanguine alatur, augescatque, ex sanguine gigni, formarique » partes propè affirmare alicui liceat. Non est nobis de nihilo fi- » cta hæc loci huius explicatio. Sed auctorem habet Gal. ipsum- » met, hoc ipsum scribentem primo in Hipp. libellum de nat. hum. » Adducamus nos verba Galeni. Quum vero sanguis dicatur bi- » fariam (inquit Gal.) alius quidem, quem vel secta vena, vel vul- » nere inflicto profluere videmus, qui & vtriusque bilis, vt osten- » dimus, & pituitæ particeps est: alius purus, & integer, & cuius- » que mixturæ alterius humoris expers: porrò ex sanguine priore » significatu fœtum formari fortasse verum est: non ita tamen ve- » rum est, quod ex eo iuxta alterum significatum: neque enim is so- » lus vnquam in prægnantibus gignitur. Cur autem (fortasse) in » sermone adiecerim, nequaquam vos fugere puto. In commenta- » tarijs siquidem de semine monstrauimus plures nostri corporis » partes ex semine gigni, cum solæ carnosæ ex sanguine efformen- » tur. quoniam vero exigua est seminis in vterum iniecti moles: » nutrimētum, ac incrementū illi ex sanguine accedit. ob id ergo po- » test aliquis dicere, parum abesse, quin partes ex sanguine vniuer- » sæ formentur. Quò autem & semen suum à sanguine ortum ha- » bet, eò & affirmauerit ex sanguine fœtum gigni non videbitur » mentiri: vt tamen non ex sincero quidem sanguine, & alijs hu- » moribus vacuo, sed ex eo potius, qui sanguis per excellentiam di- » citur.

» Ad orationem vero Gal. 2. loco adductam respondet Iul. Alex. quòd semen non solum efficiens animalis principium est, sed mate- riale etiam. & hoc determinatum fuisse à Gal. in lib de sem. Qua- re licet aßerat hoc in loco semen esse efficiens, non tamen negare esse etiam materiam. Vnde diuersum quidem ab ijs, quæ scripsit in lib. de semine dicere, sed non contrarium. Ex quibus exactißimè ablatam in Gal. dictis omnem repugnantiam existimo; & conijce- re studiosi possunt, quàm parum Conciliator in doctrina Gal. ver- satus fuerit; cum tamen, postquam munus conciliandi susceperit, vnde Conciliatoris nomen adeptus est, ipsum in ea versatißimum esse decebat.

Afferuntur duæ aliæ Gal. rationes contra Ar. & vna Costæi. atque ostenditur eas contra Ar. non concludere. Cap. V.

Extant duæ aliæ rationes Gal. contra Ar. quarum primam adducit lib. 1. de sem. cap. 5. alteram vero cap. 9. eiusdem lib. Videamus earum efficaciam. Prima ergo ratio est huiusmodi. Aristotelem facientem vuluam semen eijcere, menstruum vero retinere, operibus naturæ aduersari. quando quidem vnaquæque animalis particula facultatibus naturalibus fuit donata, vt eo perfruatur, quod attrahit, & id expellat, quod sibi alienum est. Cum itaque vterus in conceptione semen ad se se attrahat, & arctè circumquaque amplectatur, id efficit, propterea quòd est ei familiare, & accommodatum. Pariter cum idem vterus singulis mensibus menstruum excernat, non illud peragit, nisi quia est ei alienum. Cum ergo per Ar. in fœtus generatione vterus semen reijciat, menstruum vero retineat, sequitur quòd reijciet id, quod est ei familiare, & retinebit quod est ei alienum. hoc autem operibus naturæ aduersatur. Non ergo ex menstruo sanguine, sed ex semine fœtus generabitur. Imaginatus est Gal. Peripat. huic rationi posse respondere. Menstruum alienum quidem vtero esse, sed tamen à semine qualitatem recipere, qua proprium, & accommodatum ipsi efficitur. Contra Instat Gal. menstruum non acquirere qualitatem à semine, quam prius semen in se non haberet. Cum nil alijs exibebeat, cuius particeps ipsum prius non fuerit. vnde si responsio allata vera eßet, sequeretur naturam eo, quod proprium per se, atque accommodatum fuerat, expulso, quod ab alio aptitudinem accepit, eligere. quod naturæ instituto repugnat. Deinde dicit Gal. Ar. qualitatem ipsi menstruo ex semine non tradere, sed motionis principium solummodo exhibere. Perinde ac miraculis contingit illis spontinis, quæ sua constitutione seruata, ex sola huiuscemodi principij cõsequutione, in motu diutissime

sime perseuerant. quapropter neque etiam licet affirmare menstruum, secundum Ar. qualitatem aliquam accipere ex semine, ex qua fiat vtero familiare. quia solum accipit motionis principium. Atqui non ex motu, sed ex qualitatis congruitate, vel incongruitate, aliud eligere, & continere, aliud auersari, ac propterea eijcere naturam videmus. Sed parcant mihi Gal. Manes. Volo ego personam Peripat. sustinere, & Ar. tueri. Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas. Primo ergo non dicit Ar. vterum semen reijcere, vt per auctoritates supra cap. 1. & 3. adductas licet intelligere; sed ipsum in spiritum versum, sua sponte euanescere. Secundo non respondebit Peripat. vt Gal. ipse existimauit. Sed dicet sanguinem menstruum, qui singulis mensibus excernitur, impurum esse, & vtero, & naturæ alienum (vt docuit doctissimus Fernel. lib. 7. phisiol. 7.) at qui ad conceptionem concurrit, purus, & sincerus est, atque ideò vtero non alienus. Tertio dicet, vt ostendi supra cap. 1. & cap. 3. vel ex ipsius Gal. sententia, non vterum hunc purum sanguinem menstruũ in cauitatem propriam in conceptione attrahere; sed semen in eadem contentum istud præstare. Quarto non tantum huic puro secundum Ar. à semine principium motionis inditur. vt Gal. dicit, verum vt supra cap. 1. ex Ar. monstraui multifariam immutatur, & cogitur. Sed præter eas auctoritates audiant studiosi, quæ in 4. de gen. an. 1. habentur. Cum enim principium non superat, neque concoquere potest propter caloris inopiam, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium, necesse est. Sic eodem lib. cap. 3. Degenerat autem quod patitur (hoc menstruum est) nec superatur, aut defectu facultatis eius, quod coquit, & mouet, (hoc semen est) aut copia, frigiditateque eius, quod concoquitur, & distinguitur. Semen ergo secundum Ar. in vtero eiaculatum elicit ex venis ad vterum tendentibus sanguinem purum, ipsum coquit, alterat, immutat, cogit, principium motionis ipsi infert, deinde versum in spiritum, sua sponte euanescit. quæ omnia sunt valde diuersa ab ijs, quæ in adducta ratione Gal. Ar. imposuit. Sicuti ergo conceptus, ex sanguine menstruo puro iam formatus, non est vtero alienus, nisi tempore exclusionis. Sic nec in prima illius ad partium formas dispositione

ſtone ipſi moleſtum, & alienum eße veriſimile Ar. eſt. Per quæ Gal. ratio infirma remanet.

Deueniamus ad alteram rationem, quam contra Ar. lib. 1. de ſem. cap. 9. Gal. adducere dixi. Galenus ergo increpat Ar. hoc pacto. Si per Ar. ſemen plantarum omnium, non ſolum materiale principium, verum etiam efficiens in ſe habet, Cur de ſemine animalium perfectorum idem dicendum non eſt? Etenim cum natura non alijs facultatibus plantam, alijs animal ſoleat creare, eademque ratio ſeruetur in generatione plantarum, ac ipſorum animalium, cur id, quod in plantis confeſſus eſt Ar. ad animalia quoque non tranſtulit? An oblitus in hoc fuit ſuorum dogmatum? In plantis ſemen indiget terra, vt calore illius fotum, vis, quæ in eo deliteſcit, ſuſcitetur ad agendum. Vnde videmus ex medio ſemine duplicem germinationem. alteram quidem in truncum, & ex trunco in ramos, ex his in ſurculos donec ad minimas virgas, & minutiſſima flagella deueniat. alteram vero deorſum in radices magnas, ex his in minores vſque ad minima capillamenta, quæ ex terra alimentum ſuſcipiunt. Sic propemodum ſemen maris vtero fœminæ, qui terræ proportione reſpondet, habet opus. Membrana chorion multas venas veluti radices continet, per quas fetui ex vtero alimentum ſubminiſtratur. Pariter in fetu animalis non vnicum, ſed tres præcipuos truncos ex tribus certis principijs productos cernere licet. venam ſcilicet cauam ex hepate. ex corde magnam arteriam, quam aortam Ar. vocat. Ex cerebro, ſpinalem medullam. ex quibus multæ deinde propagines primum maiores, deinde minores conſurgunt, donec tandem huiuſmodi propagatio ad extremas, & minimas ſoboles deueniat; vt fœtus animalis in vtero non ineptè ſanguinea planta nominari poſſit. Si quis vero putet ſe hanc Gal. rationem, & ſimilitudinem poſſe euertere, & Ar. tueri; propterea quod, ex vno ſemine fiat planta, quæ vna tantum facultate Vegetali prædita ſit. ex altero autem fiat animal, quod præter huiuſmodi qualitatem, alijs quoque facultatibus præditum ſit. ex quo colligat ſemen quidem plantarum & efficientis, & materiæ principium continere, ſemen vero animalis propter plures facultates, & perfectiones id conſequi non potuiſſe. Huic tacitæ Gal. obiectioni occurrit dicens Ar.

ipsum non negare fętum in vtero primum viuere vita plantæ, deinde animalis. (hoc expressit Ar. 3. de gen. an. 2. & declarauit etiam quomodo intelligendum sit. Unde etiam 2. de gen. an. 3. dicebat philosophus fętum non simul fieri plantam, & animal; neque simul animal, & equum). quo circa tam planta, quàm animal eundem opificem, eandemque vegetabilem animam habere formantem; atque eo tantum inter se differre, quod planta sanguinea, vel carnea, non amissa, quam prius habebat, facultate, sed alia insuper acquisita in animal erat euasura, ac suo tempore de loco in locum transitura. Cum ergo plantæ, & animalia, quatenus pertinet ad generationem, nutritionem, & auctionem, vna atque eadem ratione producantur, constet vero, semen plantarum non solum efficiens, sed etiam materiale principium continere, vtique coactus est Ar. idem de semine animalium perfectorum statuere.

Tantum equidem potuit hæc ratio apud Oddum, & Excellentissimum præceptorem, & conciuem meum Alexandrum Massaria, vt Oddus valde licentiose lib. 3. suæ Apol. pro Gal. cap. 5. affirmauerit Ar. pugnantia scripsisse. Maßaria vero non erubuerit pronuntiare in lib. de morb. mul. cap. 5. illam contra Ar. demonstrare. Sed iterum hic mihi & Gal. & illorum duorum virorum Manes parcant. dum de obliuione Ar. arguunt, ipsi, vel de eadem, vel de incuria sunt valde increpandi. Heus viri vndequaque doctissimi, cur Ar. statuit in semine plantarum, & materiale, & efficiens principium contineri? Quia statuit etiam in illis vtrumque sexum, maris scilicet, ac fœminæ coniunctum esse, eandem plantam vim maris, & fœminæ in se habere. Quid ergo mirum semen plantarum continere in se materiam, quæ à fęmina in animalibus prouenit, & simul efficiens ipsum, quod in eisdem à mare per Ar. tribuitur, si in una, & eadem planta vterque sexus conuinctus est? hoc autem in animalibus contingere non poße, in quibus natura marem à fœmina distinxit? Hæc est vera ratio diuersitatis de semine plantarum, & animalium. semen ergo plantarum est veluti aggregatum ex semine maris, & fœminæ sanguine menstruo secundum Ar. & est conceptus quidam. vt in auibus est ouum fœcundum, non autem vt semen in animali-

bus,

bus, quod teste Ar. à mare tantummodo emittitur. non ergo mirum si in generatione & materia, & efficiens sit. Debebat ergo Gal. ostendere semen maris proportione semini plantarum respondere; scilicet idem eße semen maris in animalibus, ac semen plantæ in plantis. cum vero in eo sermone versetur, vt velit probare semen maris habere in se principium materiale, & in sua probatione supponat ipsum semini plantarum proportione respondere, in quo continetur & id quod à mare, & à fœmina ad generationem tribuitur, quia in plantis vterque sexus mixtus, & coniunctus est, non ne aßumit pro certo, quod probandum est ab illo, & negatur ab Ar.? Nulli dubium est. quod, cum ex semine plantarum non solum vt efficiente, sed etiam vt materia planta generetur, si animalium seminis, quod à mare tantummodo secundum Ar. tribuitur, eadem esset ratio, ac seminis plantarum, haberet in se materiale principium. Sed quod non eadem sit ratio docet Ar. quia in semine plantarum adest materiale principium fœminæ, & efficiens maris. adeo quod dicet, si ex eo, vt materia, generatur planta, generari quà planta, vt fœmina, illud produxit, non quà mas. at de semine animalium hæc dici non possunt, quia solum à mare procedit. Omnino sicuti ex generatione plantarum elicitur in conceptibus plantarum & efficiens, & materiale principium contineri; ita elicitur vtrumque principium, non in seminibus animalium, sed in conceptibus eorum necessario esse, quod Ar. nunquam negauit. Sed melius est vt totam ex Ar. orationem de
» hac re transcribam ex fine primi de gen. an. Sexus igitur maris,
» ac fœminæ distinctus in genere omnium animalium gressilium est.
» & quanquam diuersa sunt animalia mas, & fœmina, tamen spe-
» cie idem sunt, verbi gratia homo vtrunque. at in plantis faculta-
» tes istæ miscentur, nec mas à fœmina separatur. quamobrem ex
» se ipsæ progenerant, nec genituram emittunt, sed conceptum,
» quod semen vocatur, afferunt, idque Emp. bene retulit suo car-
» mine.

» Deinde etiam ouiparo genus arboreum tulit ortu.

» ouum enim conceptus est, & animal ex parte eius creatur, reli-
» quum alimentum est animalis: seminis etiam aliqua ex parte con-
» sistit, quod oritur: reliquum alimentum germini, radicique pri-

V 2 mæ est.

" mæ est. Hoc idem quodamodo in ijs etiam euenit animalibus, qu[æ]
" sexu distinguntur. Cum enim vniuntur, & generant, inseparat[a]
" redduntur, vt plantæ. idque natura eorum nititur, vt vnum fiat:
" quod cum coeunt, & coniunguntur, conspicitur vnum effici ani-
" mal ex ambobus, atque ea, quæ semen non emittunt diù complexa
" funguntur venere, dum conceptum constituant: vt insecta, quæ
" solent coire. alia tamdiù exigunt, donec partem aduentitiam
" quandam mittant, quæ conceptum constituat spatio temporis lon-
" giore, quàm in sanguineo genere agatur. Hæc enim parte qua-
" dam diei cohærent: genitura intra plures dies constituitur: mox
" vbi eam emiserunt partem absoluuntur. Profecto animalia
" tanquam plantæ decisæ esse videntur; perinde quasi illas quoque,
" postquam semen attulere, dissoluas, & separes in sexum insitum
" maris, ac fœminæ. Atque hæc omnia rectè ita à natura condita
" sunt. Plantarum enim substantiæ non aliud munus, nulla alia
" actio, nisi generatio seminis est. Quod cum maris, ac fœminæ
" coitu efficiatur miscuit ea natura, indiscretumque sexum maris,
" & fęminæ plantarum generi tribuit.

Hic mihi non dicat aliquis Galenum rationem suam adducere non de semine maris tantum, sed de seminibus maris, & fœminæ simul mixtis. Nam Gal. loco citato illud agere contendit, vt probet semen maris passiuum in se principium continere, & omnes auctores etiam, vt Oddus, & alij hoc argumento Gal. vtuntur adhoc idem ostendendum. Deinde si sic res se haberet, aduersus Ar. ratio Galeni nil valeret. Nam Ar. concedet in miscella seminis maris, & fęminæ materiale principium contineri: Verum istud non à mare, sed à fœmina prouenire asseuerabit. Gal. autem in eo versabatur nunc, vt istud à mare prouenire aduersus Ar. monstraret. Concludamus ergo rationem Galeni concludere de conceptu animalium, non de illorum semine. Quibus omnibus sic stantibus videtur ne tibi studiosè lector Ar. de obliuione arguendus? Sed valde ego de Oddo miror, qui tantum sibi tribuit, vt Apologiam pro Gal. composuiße sibi persuaserit, & tamen nil aliud in ea agit, quam omnia ad uerbum ex Galeno transcribere, nil ferè sui addendo; non animaduertendo quid firmiter, quid minus firmiter à Galeno prolatum sit: non adducendo quid Peripatetici respon-

deant,

deant, respondereque possint. Si hoc est Apologias componere iudicent studiosi.

Sed quandam aliam rationem Costæi lib. 5. disqu. Physiolog. contra Ar. perpendamus. si sola vis in semine maris residens ad generationem animalium perfectorum sufficeret, corpulentia autem eius materia fœtus non fieret, vt Ar. vult, quid opus esset non solum vim, sed substantiam seminis in vterum transferre? quo pacto enim in aliquibus animalibus voluit Ar. fœminas solam vim in coitu sine corpulentia excipere è maribus, ita perfectioribus animalibus consultum iri videretur, si citra emissionem humoris illius, cuius absumptio tantam sæpe affert vitæ iacturam, mas in fœminam solam vim, spiritu, vel vapore in vterum immisso, spiraret. oportet ergo vt seminis maris corpus pro materia fœtus inseruiat. Imò Costæus solum corpus seminis marium, non semen fœminarum, materiam partium fœtus albarum esse statuit.

Huic rationi fidere non debent studiosi. Nam & simpliciter, & in doctrina Ar. commodè euerti potest. simpliciter euertitur. quia, vt dicam infra cap. 7. in solutione sextæ rationis Ar. certò scire aliquis non potest, vtrum, dum insecta animalia coeunt, & fœmina particulam vuluæ respondentem in marem indit, à mare suscipiat vaporem quendam vim formatricem in se continentem, an vero humorem aliquem. Quis enim scire potest, cum insecta in coitu vniuntur, quomodo se res in illis habeat? Hęc res ergo sensui latens est, & soli naturæ cognita. Malo autem ego ea, quæ in perfectis video animalibus, vt pote sensui patentia, ad imperfecta transferre, quam ex ijs, quæ in imperfectis mihi incerta sunt, & imaginaria solum, velle arguere de ijs, quæ in perfectis fiunt animalibus. Cum ergo videamus in perfectis animalibus in fœminam corpulentiam seminis à mare immitti pro generatione animalis, affirmabo intrepide, idem in imperfectis fieri. Et sic respondebo etiam sextæ rationi Ar.

Quod si velimus affirmare cum Ar. 1. de gen. an. cap. vltimo vaporem solum quendam, non humorem fœminam in insectis à mare in coitu excipere (nolo enim vt aliquis imaginetur voluisse Ar. nudam vim generantem à mare fœminam in his accipere: tritum est illud, formas non posse de vno in alterum corpus migra-

re ſine aliquo ſubiecto) poteſt reſpondere Ar. inſecta animalia per multum temporis ſpatium ſimul vnita in coitu manere, quouſque fœtum conſtituant, quapropter paulo poſt coitum, partum edunt, ſiue ſit ouum, ſiue vermiculus; animalia vero perfecta pauco tempore ſimul manere in coitu. Unde, ſi in his ſpiritum ſolum quendam mas in vterum ſpiraret, non ea efficacia vim, & efficientiam ſanguini menſtruo tribueret, vt requiritur. Facile enim ſpiritus ille euaneſceret, qui in generatione tamen opifex eſt. Quapropter opus fuit corpore aliquo, quod ſpiritum contineret, & hoc ſeminis maris corpus lentum, craßumque eſt.

Afferuntur quædam propriæ rationes oſtendentes ſemen maris pro materia fœtus inſeruire. & nonnulla difficilia dubia remouentur. Cap. VI.

AFferam ego, ni fallor, quaſdam rationes, quæ ſatis clarè oſtendent ſemen maris in generatione animalis materiæ locum habere. Manifeſtiſſimum eſt per ea, quæ in prima parte huius diſputationis attuli, ſemen maris, & fœminæ eaſdem notas habere, eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, & naturæ, eodem modo generari. Nam tam in mare, quam in fœmina eadem organa præparantia, & excoquentia, & eiaculantia reperiuntur, ſola vero maioris, & minoris differentia inter ſe differre; quod ſemen maris ſit perfectius, calidius, craſſius ſemine fœminæ. At fœmineum ſemen materia fœtus eſt. cur ergo ſeminis maris corpulentiam, & craſſamentum negabimus materiam eſſe? Fœmineum ſemen fętus materiam eſſe probatur. Nam omnes determinant fœminam materiam in generatione fętus tribuere. at ſanguis menſtruus non poteſt eſſe partium albarum fętus materia, vt ſupra oſtendimus in hac parte cap. 3. & 4. ergo materia illarum, fęminæ ſemen erit. Videtur ne tibi ſtudioſe lector, quod ad ſolidas, & vocatas ſeminales partes corporis generandas fęmineo minus aptum ſit maſculeum ſemen, quod illo magis craßum, lentum, & tenax eſt?

Quæ

Quæ nam ratio eſt, ò Peripatetice, vt ſemen maris craſſius, viſcidius aboleatur, & extra vterum diſſipetur, fęminæ vero tenuius, frigidius à diſſolutione ſe vindicet, & in vtero perſtet pro materia fętus?

Obſeruamus ſecundo loco. quod ſi caper ouem inierit, generatur ouis duriori, & craſſiori lanitio: econtra ſi capram aries, capra molliori, & tenuiori pilo gignitur. Pili oriuntur ex cute, & varij ſunt pro varietate illius; ita Ar. 5. de gen. an. 3. docet. Ita confirmant omnes, & præcipuè doctiſſimus, & de Medicina optime meritus Saluus Selanus in pulcherrimo ſermone de natura pilorum, habito in com. ſuper ſecundum art. Medic. lib. tex. 18. & 21. cutis per Ar. ex 2. de gen. an. 3. in fine, vbi de ortu eius loquitur, fit, humore ex materia, ex qua conſtituitur fętus, euaporante, vt in pulte refrigerata oritur cruſtula: cutis ergo ex materia, ex qua conſtituitur fętus ſecundum Ar. generatur. Talis materia, ſi caper ouem inierit, non poteſt eſſe ſanguis menſtruus ouis, neq; capræ, ſi illi aries ſuperuenerit. nam cutis eſt pars extenſibilis, craſſa, tenax: at oſtenſum eſt ſupra cap. 3. partes huiuſmodi ex ſanguine menſtruo gigni nullo modo poſſe. ergo cutis ex ſemine vel ouis, vel capri generabitur, quando oui caper ſuperuenit. non ex ſemine ouis. nam cutis partus ouis non eſt penitus oui conueniens; vt ex pilis colligitur, qui non ſunt molles, vt pili ouium. non ex ſemine capri. nam diuerſa etiam eſt à cute capri. non ex ſemine ouis alterato, & immutato à ſemine capri. nam ſemen ouis mutatur ne pro generatione cutis ad craſſius, & viſcidius? at ad quid natura inſtitueret, vt ſemen ouis à ſemine capri ad craſſius, & viſcidius tranſmutaretur, ſi ſemen capri craſſius, & viſcidius eſt? non fit aliquid à natura per plura, quod poteſt æque bene fieri per pauciora, vt dixi etiam ſupra. ergo ex ſemine vtriuſque generatur, & ſic ſemen maris ſimul cum ſemine fęminæ concurrit pro materia in conſtitutione fętus. Sicuti vero ſe res habet de cute ipſa, ita de alijs partibus internis eiuſdem cum cute generis ſe habere quis vetat? ergo non ſolum efficiens principium ſemen maris in ſe habet, verum etiam materiale. Eandem rationem deduces quando aries capræ congreditur.

Deſumo tertio loco alteram rationem ad probandum ſemen

masculeum pro materia partium fetus inseruire ex quibusdam affectionibus filiorum hæreditarijs. Obseruamus à patre epileptico filios epilepticos vt plurimum procreari. Epilepsia vero originem habet ab intemperie cerebri frigida. nam ab hac pituitosi humores generantur, qui angustiam postea in ventriculis cerebri promouentes, sunt in causa, vt vniuersi corporis actiones animales amittantur, & subsequantur conuulsiui illi interpolati motus totius. Nascatur igitur ex patre epileptico, & matre sana epilepticus filius: cerebrum huius filij, à cuius intemperie epilepsia ortum ducit, vel habet hanc intemperiem à menstruo matris in prima formatione, aut primam formationem pro nutritione tributo, aut à semine matris, aut patris. non à menstruo ad primam formationem tributo. nam cerebrum est membrum exangue, atque ideo ex menstruo non potest generari, vt cap. 3. & 4. de alijs exanguibus membris ostendimus. neque à menstruo tributo ad nutritionem post primam formationem. nam à sana muliere non nisi salubre menstruum prouenire potest. non à semine matris ob hanc eandem rationem; & quia Ar. in feminis semen non concedit. ergo à semine patris. Quid igitur? Imaginaberis ne semen patris, vt efficiens solum, malè afficere, & disponere semen matris, atque ideo cerebrum male affectum, & dispositum ex semine matris oriri, ex ipso vero, tanquam ex materia, cerebrum non fieri? Sed hic parum siste; & considera primo, quod in Ar. doctrina hæc imaginatio admitti non potest. nam non agnoscit ipse in feminis semen, sed solum sanguinem menstruum. deinde considera optime substantiam cerebri, & substantiam seminis patris, & matris, & affer mihi causam, cur cerebrum generari possit ex semine matris, non patris? Cur magis sit accommodatum semen matris pro materia cerebri, quam semen patris; cum demonstratum iam sit in 3. cap. huius partis semen patris non posse extra vterum dissolui, & ibidem, & sequenti cap. partes albas ex semine gigni? Nam cum ego nullam inuenire possim, & necesse sit cerebrum ipsum ex semine, non ex sanguine generari, & videam natum ex patre epileptico, & matre sana ad epilepsiam dispositionem habere, audacter pronunciabo ex miscella seminis patris, & matris cerebrum huius nati epileptici factum fuiße; dispositionemque

nemque

nemque illam ad epilepsiam prouenire; quia ob defectum caloris seminis patris mixtura, ex qua cerebrum formandum erat, frigidior resultauit, quàm naturæ cerebri sani conueniat; proinde intemperatum ex illa genitum fuit, & subinde aptum ad pituitosos humores producendos.

Sed mihi à quodam meo amico, quo cum hæc mea communicabam, & qui mordicus sectam Peripateticam sequitur, obiectum fuit. magis accommodatum esse semen matris pro materia cerebri, quàm semen patris. Nam cerebrum partium omnium corporis, teste Ar. 2. de part. an. 7. frigidissimum est: at semen matris frigidius est semine patris. magis ergo accommodatum est semen matris pro generatione cerebri, quàm semen patris. Huc vt peruenirent Peripatetici expectabam. Audiant ergo studiosi. Si hæc ratio Peripateticorum valet, ostendo ego magis accommodatum esse pro generatione cerebri semen patris, quam semen matris. Nam re vera studiosi possunt discere ab Auic. prima primi doct. 3. cap. 2. & ab interpretibus super illud caput, ossa, cartilagines, ligamenta, tendines, membranas, neruos, spinalem medullam cerebro frigidiores esse. ergo per eorum rationem semen matris, vt frigidius semine patris, magis accommodatum erit pro generatione membrorum cerebro frigidiorum, & semẽ patris magis accommodatum pro generatione cerebri, vt membri minus illis frigidi. Cum dico nunc semen, per illud corpulentiam seminis intelligo. Dubitas ergo forsan corpulentiam seminis maris frigidam esse, proinde aptam pro generatione membri frigidi? Recurre ad Ar. 2. de gen. an. 2. qui te docebit semen, secreta illius parte spirituosa, quæ efficientis in generatione locum tenet, refrigerari, humidum, nigrumque euadere, illius remanere aquam cum pauca terrena portione. Si igitur frigiditas, vt velle videntur hi, est sufficiens dispositio pro generatione cerebri, patet nil nobis obstare posse, quin semen patris accommodata materia sit pro generatione cerebri filij epileptici. Sic ego de affectu epileptico paterno hæreditario rationem redderem, neque puto aliam posse probabiliorem reddi. Si quis vero alius mihi modus firmè respondendi ab aliquo ostensus fuerit, pergratum mihi erit, pro nullaque statim rationem hinc à me deductam habebo; vnius enim

veritatis amore hæc ſcribere ſum aggreſſus. Quod autem ego de epileptico affectu induxi, poterunt ſtudioſi facillimè de alijs hæreditarijs affectibus à ſimili inducere. Cum ergo non poſſimus reddere probabiliter rationem de morbis paternis hæreditarijs, niſi ſupponamus patris ſemen fœtus materiam remanere, concludam contra Ar. & ſectatores, ſemen maris non ſolum efficiens, verum etiam materiale principium in ſe continere. Per hanc quinetiam rationem, ſi inducant ſtudioſi morbos maternos hæreditarios, qui pendent ab alicuius membri exanguis intemperie, vel, vt aliqui volunt, ſubſtantiæ proprietate, non inualidam, vt puto, rationem habebunt, ad demonſtrandum fœminas ſemen generare, & materiam fœtus illud eſſe, ſi attentè animum adhibuerint.

Sed ſtatim huic rationi obijciet aliquis. Sunt paternæ quædam hæreditariæ indiſpoſitiones, quæ pendent ab aliquibus membris, quæ ex ſanguine materno gẽnita ſunt; & inter has recenſebo calculoſam renum affectionem, & intemperiem iecoris calidam, per quam filius patietur per hæreditatem paternam in facie varros. Renes, & iecur ſunt partes, & rubræ, & ſanguineæ. ergo paternæ affectiones filijs imprimuntur per alterationem à ſemine in ſanguinem menſtruum factam, abſque eo, quod ſemen patris materia filiorum generationis ſit. Pro reſponſione, non nego ego calorem acriorem exiſtentem in ſemine patris calculoſi, vel intemperiem calidam iecoris patientis, poſſe calorem acriorem in menſtruo, ex quo iecur, & renes fœtus fiunt, imprimere, atque ideo filium naſci paternas intemperies vel renum, vel iecoris patientem, proinde calculo renum, & varris in facie ſubiectum eſſe. Sed multa quoque me docent, vt pateſeci cap. 4. calorem eundem, qui opifex fuit in generatione renum, & iecoris fętus, ex corpulentia ſeminis patris mixta cum corpulentia ſeminis matris, non ex menſtruo, formaſſe prima ſtamina, & fundamenta & iecoris, & renum. hæc ſunt venæ per ſubſtantiam iecoris, & renum ſparſæ. Ergo per alterationem quidem à calore ſeminis patris in menſtruum factam, oritur filius paternas gerens indiſpoſitiones partium ſanguinearum, ſed non abſque eo, quod corpulentia

ſeminis

seminis patris materia generationis filij sit. & possunt Peripatetici saluare affectiones filiorum paternas hæreditarias membrorum rubrorum, per solam alterationem à semine patris in menstruum factam; sed non possunt saluare postea generationem primorum staminum, & fundamentorum horum membrorum; & adhuc minus per eam possunt saluare paternas filiorum affectiones hæreditarias membrorum alborum, vt nunc de cerebro induxi. nam hæc membra non sunt genita ex menstruo, sed ex semine. Sed cur magis ex semine matris, quàm patris, à quo filius habet illorum affectiones? Si ignorant studiosi iuniores quomodo venæ sint prima stamina, & fundamenta iecoris, non grauentur recurrere ad Gal. lib. de fętus form. cap. 5. & ad doctissimum Saluum selanum super 2. art. Medi. lib. tex. 12. pag. 285. nec non ad doctissimum nostrum Andræam Laurentium 2. op. anat. locis supra in calce cap. 4. citatis. ab his enim clarè discent non iecur, aut cor primo formari, sed primo venas, & arterias; & his postea formatis attrahi per venas sanguinem, & ex ipso generari parenchyma iecoris; ex attracto verò sanguine per arterias, cordis parenchyma constitui. Iurè ergo venas fundamenta iecoris, & prima illius stamina nuncupauimus.

Est tandem, (vt nil ab aduersarijs excogitatum, saltem intactum, relinquam) altera dubitatio. Ex his enim, quæ à nobis hactenus stabilita sunt, apparet partes nostri corporis non ex vna, sed ex diuersis materijs fieri. aliquas enim ex sanguine, aliquas ex semine fieri statuimus. at videtur, quòd vnum corpus ex vnica materia fiat, non ex pluribus. Sic dubitat Auer. com. vlt. in primum de gen. an. Sed facilis est responsio. Etenim Gal. vult ex distinctis materijs diuersas corporis partes formari, non quidem, vt diuersis, atque inter se contrarijs, sed in vnum conspirantibus. Ita vt, si hæc quidem pro vna, hæc autem pro altera parte conueniens materia existat, omnes tamen in vnam communem materiam coeant, ex qua vna communis anima educatur.

Quæ in contrarium allatæ fuerunt Ar. & sectatorum rationes euertuntur. Cap. VII.

REstat, vt euertamus rationes, quæ ab Ar. & sectatoribus contra Gal. & sectatorum sententiam allatæ fuere. Quantum ergo ad primum argumentum. Illud concedatur tanquam verissimum, idem simul agens, & patiens esse non posse, cum hac limitatione, ratione eiusdem; idest agens, quà agens, non posse esse patiens. Dicimus vero in semine maris duas partes reperiri, alteram quidem tenuissimam, aeream, & spirituosam, in qua anima vegetalis, vis generandi, & principium motus est; alteram crassiorem, et magis corpoream, seu materialem, in quam fit actio. Unde nulli mirum videatur, semen secundum huiusmodi varias partes, cum agentis, tum patientis vires habere. Sicuti mirum, vel absurdum non est, edito animali, animam in corpus agere, & illud regere. Quamobrem sicuti artifex, & materia non idem sunt, ita nec anima seminis, & seminis corpus idem statuendum est.

Ad secundum dicimus. Semen, quà opifex est, non eße materiam fœtus. neque enim vim generandi in semine contentam, neque seminis spiritus, fœtus partium materiam esse volumus.

Ad tertium exemplum illud de coagulo propositum nostrum admodum confirmat. Sicuti enim coaguli corpus in lacte, in quod agit, atque in caseo, quem densat, remanet. vt sæpè eius odor, & sapor, qui inter gustandum illum agnoscuntur, manifestant; ita & seminis quoque corpus in fœtu permanere confitendum est.

Ad quartum. semen coagulari non poße calore, vel frigore, vt extra corpus fidem habet ex sensu, ita in viuente corpore, & vtero ipso cogi, non admirabitur ille, qui in memoriam reuocabit, generatim quidem concoctricis facultatis in corpore vniuerso eam esse efficaciam, vt quæ tenuiora sunt, craßa, quæ crassiora, tenuia, pro ut res postulat, paruo negotio reddat. Particulatim vero

tantum

tantum eße facultatis formatricis robur, vt non hoc tantum præstare valeat, quod externus quoque ignis, in lentam, crassamque materiam efficere solet, cum pultes indurat, & membrana obducit, sed materiam in opportuna loca pro rei vsu sapientissime distribuere, excauare ossa, venas arterias, passim incredibili artificio meatus aperire, & formam partibus quibusque suam inducere.

Ad quintum, in quo communissima propagationis ratio quæritur. Dico communissimam conditionem omnium animalium, quę per coitum propagantur, esse, vt mas semper materiam, & corpus seminis tribuat, non solam illius vim, quemadmodum supra ostendi cap. 5. dum pro Ar. respondebam rationi Costæi. Quapropter quæso studiosi illuc recurrere non grauentur. Insecta vero diu coeunt, & fœmina in illis partem vtero respondentem in maris corpus immittit mea quidem sententia. quia insecta animalia sunt frigidissima. adeo quod, si semen à mare in corpus fœminæ immitteretur, vt in perfectis fit animalibus, partim præ frigiditate illius, partim, & multo magis præ frigiditate loci fœminæ, in quem recipitur, fœtum quantum vis imperfectum instituere non poßet, sed penè gelasceret. neceßarium ergo fuit. vt fœmina in insectis partem vtero respondentem in marem immitteret, & diu in illius corpore detineret, adhoc, vt talis pars sic in corpore maris conclusa, à calore illius foueretur, & sic intra se concipere posset. Iudicent modo studiosi an hæc à me excogitata ratio, ob quam fœminæ insectorum particulam sui in mares indant, & diù coniunctæ cum illis maneant, sit probabilis, nec ne.

Ad sextum. Si verisimile non est Ar. & sectatoribus, dum post congressum galli cum gallina, oua ea, quorum luteis nondum album est aggeneratum, fœcunda redduntur, materiam aliquam seminis illis ouis à gallo immitti, verum fœcunditatis vim solum infundi; Hipp. Gal. & toti Medicorum scholæ valde verisimile videtur id ita contingere. Quapropter quantum valet illi negatio, tantum his affirmatio. Sed studiosi possunt hic recurrere ad ea, quæ in fine vltimi cap. primæ partis huius disputat. de ouis dixi.

Quod ait Ar. de piscibus maribus, qui sola aspersione seminis

supra

supra oua, fœcunda ipsa reddunt, à veritate mea sententia est alienum. Ego in piscibus rem ita se habere iudico. Coeunt pisces mares cum fœmellis, & hoc docuit etiam Ar. 5. de hist. an. 5. & 6. cap. 11. & 13. & 1. de gen. an. 6. in illasque semen emittunt. Ex mixtis vtrisque seminibus in vtero fœminarum generantur oua fœcunda, & post adeptam debitam perfectionem in vtero, excluduntur. Si debent fœtus ex ouis exclusis nasci in pennigeris, opus est vt incubentur: mutuo incubitus in piscibus, mares supra oua exclusa semen spargunt. vnde insitus ouorum calor à calore seminis marium fotus suscitatur ad agendum, & sic pisciculi ex illis formantur, quemadmodum in pennigeris insitus ouorum calor per incubitum fotus in actionem erumpit. Meo igitur iudicio idem est in pennigeris incubitus, & in piscibus seminis supra oua aspersio; & quemadmodum in pennigeris oua fœcunda non sunt, nisi mares, antequam fœminæ ouorum luteis album aggenerent, cum illis coeant; & quamuis incubentur, pulli ex ipsis non generantur. ita me iudice quantumuis mas semen supra oua aspergat, ex illis pisciculi generari non possunt, nisi, antequam ipsa in vtero fœminarum perfecta sint, mares cum fœminis coierint; cuius enim rei gratia coeunt? Et quemadmodum in pennigeris nunquam oua excluduntur, nisi incubentur, aut aliquo alio calore simili incubitus calori foueantur, licet per coitum maris instituta sint: ita in piscibus nunquam oua, quamuis per coitum maris instituta sint, excluduntur, nisi mas semen super illa spargat, aut aliquo calore, qui tantumdem valeat, foueantur. Et si hæc probabilia, & rationabilia sunt, (nam alijs, an sint, iudicandum relinquo) nego in piscibus illis, in quibus mas super oua semen spargit, oua ipsa per solam talem aspersionem fœcunda fieri, vt Ar. aßerit.

Ad argumentum Cæsalpini. Dico misceri duas illas materias. causa vero cur debeant misceri ostendi in prima parte disputat. huiusce cap. 14. & multis alijs euidentijs infra per totum discursum. Nam si volumus reddere rationem de multis contingentibus circa generationem fetus, oportet fateri semen fœminarum cum semine marium misceri in illius generatione. Dico vlterius ex illis duobus seminibus vnicam materiam fieri, & vnicum

agens,

agens, vt in prima parte cap. 18. in responsione ad quintam rationem etiam affirmaui. Unde non relinquitur Cæsalpino locus à me quærendi, an virtus vtriusque sexus seminis in alienam, an in propriam materiam agat. Sed magis minutim consideremus illius rationem. Inquit Cæsalpinus: Si misceantur materia maris, & materia feminæ, & virtus vtriusque in alteram agat, in materiam maris perfectiorem aget imperfectior virtus fœminæ, & hoc modo non ad perfectionem, sed ad imperfectionem tendet generatio. Quis modus arguendi est iste? Parcat mihi iste vir, adest in hoc syllogismo fallacia æquiuocationis. Nam dũ supponit imperfectiorem virtutem feminæ agere in perfectiorem materiam maris, intelligendum est virtutem feminæ esse imperfectiorem, non respectu materiæ maris, nam respectu huius semper est perfectior, vt pote cum in ipsam agat, sed respectu virtutis maris. nam virtus feminæ hac est imperfectior. & cum dicitur materia maris esse perfectior, dicitur esse talis respectu materiæ feminæ, quæ est imperfectior, non respectu virtutis feminæ. In terminis ergo latet æquiuocatio, & ratio est nulla, & duplici modo peccat.

Ad deliramentum Argenterij. Dicamus conceptum in primo conceptionis tempore molem seminis ab vtroque parente emissi non excedere, & ita pusillum in hominibus esse, vt dimidij pollicis digiti magnitudinẽ non superet, vt in abortibus paulo post conceptionem à doctis viris fuit obseruatum. Cur ergo ex semine semel à mare iniecto mixto cum semine feminæ singularum spermaticarum partium prima stamina non effingentur, quæ posthac alimenti perpetua appositione, & assimilatione, incrementum, & perfectionem suam capessant?

Ad decimum fateor eandem esse materiam generationis, & nutritionis. Quando dicunt nutrimur sanguine. ergo ex illo generamur. Respondeo nutriri nos ex sanguine, sed diuersimode immutato. Nã partes spermaticæ nutriuntur ex sanguine, sed in semen immutato; partes sanguineæ vero ex sanguine parum alterato. Cum enim partes seminales sint factæ ex semine, nunquam sanguis eas nutrire poterit, nisi in semen conuertatur. Ita docet Gal. 14. de vs. part. 10. & 1. de sem. 12. Ita doctissimus Fernel. 7. physiol. cap. 2. vt alios doctissimos viros omittam. Eadem ergo est materia generationis, & nutritionis. quia partes, quæ sunt genitæ ex semine, nutriuntur semine. partes, quæ sunt genitæ ex sanguine, nutriuntur sanguine.

Hic se nobis opponit Accorombonus, cuius annotationes in Ar. dum impreßor ad finem huius 2. partis perueniſset, mihi in manus inciderũt, negans partes ſpermaticas ali ſemine ob duas rationes. quia ſcilicet deficit ſemen in animalibus in quibuſdam ætatibus. nam in prima, & vltima ætate non generatur ſemen. ijs ergo temporibus quomodo illæ ex ſemine nutriri poterunt? & quia oporteret adeſſe vaſa, quæ ſemen à teſtibus, in quibus illud conficitur, ad illas deferrent. vt iecur habet venas, per quas ſanguis defertur.

Hæc procedunt ex mala intellectione principiorũ Gal. & Hipp. Nam partes ſpermaticæ aluntur ſemine, non accepto pro aggregato ex ſpirituoſa, & corpulenta parte ſeminis, & hoc eſt verum ſemen, ſed accepto pro corpulenta tantum parte, ex qua genitæ etiam fuere, vt hactenus ſatis me explicaui. patet autem quomodo in omni ætate talis corpulenta ſeminis pars ab omnibus partibus ſpermaticis in ipſarum nutritione poſſit generari, & quomodo non opus eſt teſtes generare illud ſemen, ex quo eæ omnes aluntur. ad quid ergo requiruntur propria vaſa à teſtibus ad partes ſpermaticas tendentia?

Obijcit etiam hic author Galeno, qui ex albedine partium ſpermaticarum arguit earum generationẽ ex ſemine, quòd ipſe non inſpexerit abortus fœtuum. nam in his venæ, nerui, oſſa ſunt rubra, vt potè ex ſanguine genita, non alba. Sed ſciat hic author. quod hæ partes in fœtu vtero geſto conſiderari poſſunt vel reſpectu carnoſarum, & ſic ſunt albæ, cum tamẽ tunc, ob prohibitam diflationem ſanguinis, quo coaleſcunt, rubeſcant; vel reſpectu habito ad ſe ipſas cum fœtus eſt extra vterum, & ſic rubræ dici poſſunt. At Medici eas conſiderant primo modo, non ſecundo, & re vera ſic conſiderari debent. Alia habet hic vir attinentia & ad hanc, & ſuper: noſtræ diſput. partem, quæ ex iactis principijs facilè à quouis reijcientur, notatuque digna non ſunt.

Ad vltimum reſpondeo. Principum partium parenchymata ex ſanguine quidem generari, ſed tamen earum prima ſtamina, & fundamẽta ex ſemine, quemadmodum innui ſupra cap. 4. & in ſuperiori capite oſtendi.

Concludamus ergo quod in hac ſecunda parte intendebamus iuxta Veterum Medicorum ſententiam, ſemen maris non ſolum principium effectiuum, verum etiam paſſiuum in ſe habere.

MVNDINI MVNDINII VINCENTINI DISPVTATIONIS,

In qua ea, quæ de semine sunt controuersa inter Peripat. & Veteres Medicos, & doctissimos quosdam Neotericos discutiuntur,

PARS TERTIA.

Propositio, & ordo dicendorum. Cap. Primum.

HACTENVS Veterum Medicorum sententiam de semine maris, & feminæ, à diuersis eam obiectionibus vindicando, illustrauimus, atque probabiliorem Ar. sententia monstrauimus. quo circa, & nos Veterum Medicorum sententiam sumus sequuti, & studiosis sequendam proposuimus. At quidam doctissimi Neoterici nec Veterum Medicorum, nec Peripat. opinioni acquiescere potuerunt. quare nouam in Philosophia, & Medicina opinionem introducere conati sunt, asserentes in perfectis animalibus, de quibus nostra est instituta disputatio, nec semen maris, nec fœminæ concurrere actiuè ad generationem, sed passiuè: efficiens *vero esse calorem vteri, nec non eum, qui cum quadam vi à principijs internis matris per venas, & arterias vteri in fœtum distribuitur. In ouiparis vero esse calorem matris cubantis. Adeò vt soli feminæ vis efficiens generarionis sit ascribenda. Deceptos hos doctissimos viros arbitror. Cum vero de semine disputandi laborem, eo precipuè consilio, vt studiosos iuuarem, neque promitte-*

rem eos sententias falsas amplecti, susceperim, neque debui, neque potui abstinere, quin horum virorum opinionem recenserem. sola enim auctoritate sua facile poterant multos in suam sententiam trahere; & mihi vitio vel ab ipsis doctissimis Neotericis versum fuisset; quòd de semine controuersias discutere proposuissem, & tamen eorum placitum diuersis rationibus munitum prætermisissem. quare aut de industria me illud dissimulasse, aut ne vidisse quidem: primum arguere ignorantiam cum malitia, secundum negligentiam. Porrò non expectent studiosi, vt doctissimos Neotericos proprio nomine appellem. nam statui gratia reuerentiæ, qua illos prosequor, eorum nomini parcere. Quoniam vero Neotericorum opinio duas continet in se partes.. in quarum prima habetur nec semen maris, nec fœminæ effectiue concurrere ad generationem. In altera vero in perfectis efficiens in generatione esse calorem vteri, vimque vnà cum calore, vt diximus, à matre conceptui communicatam, vel calorem matris cubantis in ouiparis, talis erit ordo huius tertiæ partis nostræ disputationis, vt consideremus, primo, & ponderemus rationes, quibus probant primam partem suæ opinionis; deinde vero inspiciamus quibus fundamentis innitatur secunda.



Rationes, quibus Neoterici probant semina vtriusque sexus vi efficiente carere. solutiones earum & quarundam Fernelij interrogationum.
Cap. II.

PRimum Neotericorum argumentum, quo quærunt astruere semen tam maris, quam fœminæ ratione efficientis carere, est huiusmodi. Idem non potest esse simul agens, & patiens: at semina vtriusque sexus vi passiua donata sunt, vt statuunt Medici, & nos probauimus, & iterum affirmamus. ergo actiuam etiam vim habere non poßunt.

Adiungunt. agens, & patiens specie semper diuersa eße, atque contraria saltem oppositione priuata. De hac ratione diximus in secunda parte huius disputationis cap. 7. Breuiter iterum respondeo. agens, qua agens, non posse etiam simul patiens esse. Anima seminis est agens primarium, spiritus cum calore seminis instrumentum: seminis corpulentia, materia. & hæc diuisio competit tam semini animalium, quàm semini plantarum. ratione igitur diuersarum partium, semen potest esse, & est agens, & patiens, non ratione eiusdem partis. Anima seminis non agit in se ipsam. corpulentia seminis non patitur à se ipsa. & anima differt specie à corpulentia.

Imaginantur vero Neoterici me eße diuisurum semen plantarum in germen seminis, quod primum germinare incipit, (idest vt ego puto, corpusculum illud, quod est in medio seminum) & reliquam partem seminis, & ideo ratione harum partium dici agens, & patiens. Non sic ego diuido; nec voco corpulentiam in semine plantarum reliquam, præter germen, partem seminis. nam & in germine ipso stat corpulentia; reliquum vero seminis inseruit tum pro primo alimento germinationis seminis, dum incipit nasci, tum pro operimento, & tutamine ipsius germinis, quoniam enim semina plantarum per aliquod tempus asseruari debuerant; ideo

aliquo operimento ad sui conseruationem indiguerant. Unde non est mirum, si in ortu phaseolorum, & fabarum videamus post primam germinationem, partes biualues seminis supra terram ascendere. Illud enim, quod ascendit inseruiebat pro operimento partis, à qua, & ex qua fit prima germinatio, non pro materia germinationis. Pro huius autem considerationis à me excogitatę faciliori intelligentia recurrant studiosi ad ea, quæ dixi cap. 16. in prima parta contra Fernelium.

Sed dicunt Neoterici non licere effugere, quod semen sit materia ratione corporis, & sit agens ratione animæ ob duas rationes. Nam forma non agit in propriam materiam, sed in alienam, vt sibi similem formam in materiam inducat, at cum iam finem suum obtinuit, & materia potitur, non est, vt agat amplius. Respondeo propositionem illam ita vniuersalem, formam non agere in propriam materiam, esse falsissimam. Nam anima agit in corpus, illud regendo, & mouendo. similiter, vt loquamur de Vegetali: non ne vegetalis corpus organicum ad perfectam magnitudinem deducit? Obseruamus etiam in multis seminibus stirpium. quòd quando ex eis fit prima germinatio, vix potest cognosci, quænam species plantæ sit, quæ ex illo semine germinare incipit; spacio autem temporis illa germinatio crescit, & ita perficitur, vt clarè cognoscatur cuius speciei plantæ illa sit. Peto ego. non ne anima Vegetalis est forma germinationis illius rudis, & imperfectæ? Quod nam est agens præter animam vegetalem, quod illam perficiat, illique figuram conuenientem propriæ speciei tribuat? Anima Vegetalis Anima vermiculi, qui sericum gignit, ipsum in papilionem mutat pro conseruanda specie. Ergo forma in propriam materiam agit.

Dicunt quando forma materia potitur, non est, vt agat amplius. Respondeo. quando anima subiecto perfecto potitur, adeo quod per illud potest in actiones suas erumpere, non est, vt amplius illud transmutet, non dico in illud agat; sed quando eo potitur imperfecto, debet illud perfectum reddere. Virtus generans in puero nuper nato, non ne potitur corpore illius infantis? ergo non debet amplius agere? falsum est. nam nouas partes generat, dentes. ergo non cessat ab actione. Idem dicas de germinatio-

ne

ne illa rudi plantarum. non ne anima vegetalis in ea est? & tamen in eam agit. illam perfecit. Quid dices deinde de anima vermiculi illius, qui sericum producit?

Instant denuo. Semen habet animam vel actu, vel potentia. Dico quòd actu animæ essentiam habet, vt ostendi in prima parte cap. 13. Inferunt. si actu. cum seruetur anima cum corpore seminis, adhuc frustra agit. præcipuus enim agentis finis est, vt conseruetur, quem vbi acquisiuit, quiescit. Respondeo semen habet actu essentiam animæ, sed imperfectè stat essentia illa in semine; seruaturque cum corpore seminis imperfectè. frustra ergo non agit, si agat, vt perfectè seruari possit. si enim agit, vt conseruetur, vt dicunt hi, si sub illa imperfectione manebit, conseruari neque in indiuiduo, neque in specie poterit.

Vnum autem aduertendum est. quòd potius dicendum est animam agere in proprium subiectum, quàm in propriam materiam, quia verius dicitur, & semen, & corpus esse subiectum animæ, quam materiam.

Secunda ratio, qua non licet effugere, quod semen sit materia ratione corporis, agens ratione animæ est hæc. Dicunt Neoterici. Anima præsertim vegetalis est agens non abstractum, sed organicum, quod non agit nisi organo adiunctum. at qui dicit animam hanc agere in corpus seminis, dicit eam esse agens abiunctum à corpore, & assistens, vt nautam naui. semper enim diuisum est agens à patiente, in ijs, quæ vere, & per contactum, ac physice agunt. ne hic mihi quis motores cœlestes obijciat. In hac ratione alterum de duobus necessarium est contingere, aut vt ego vim illius non intelligam, aut nullius illa sit momenti. Agens assistens apud philosophos semper est forma penitus immaterialis, at forma hæc non dependet in propria operatione à corpore aut subiectiue, aut obiectiue, vt doctissimus, & subtilissimus Pomponatius probauit lib. de immortalitate animæ, Apolog. & defensorio. Videamus modo an qui dicit animam seminis agere in corpus seminis, dicat ipsam agens abstractum, & assistens esse. Vis rationis Neotericorum consistit in hoc, ni fallor. Agens est semper diuisum à patiente, per nos anima seminis agit in corpus seminis. ergo ipsa est agens diuisum, & abiunctum à semine, in quod agit.

ergo agens aſsiſtens eſt. hoc argumentum eſt nullius momenti, ne dicam peius; & fundatur ſupra malam intellectionem maioris propoſitionis. Succurrat Neotericis. Agens diuiſum eſſe à patiente eſsentialiter, ſed non ſubiectiuè. Imò ſi agens naturale debet agere, cum omnis naturalis actio fiat per contactum, vt agens ſit in ſubiecto, in quod agit, neceſſe eſt. Quid? quia anima in ſemine non habet particulare organum, forſan elicient ipſam eſse agens aſsiſtens? male. anima ſeminis quidem non habet particulare organum, quia ſtat imperfectè in ſemine, tamen agit adiuncta inſtrumento proprio, nempè ſpiritui. Imò ipſi inhæret; & ſpiritus corpus eſt; vt vel hac altera ratione, licet anima ſeminis agat in corpus ſeminis, non poſsit dici ipſam eſse agens à corpore diuiſum, & abſtractum.

Secundo Neoterici ad principale arguunt ſic. Si ſemen aut maris, aut fœminæ vtranque vim haberet, ſequeretur fœminam ſine maris ope generare poſse, & marem abſque fœmina. Pro probatione primæ conſequentiæ remouent reſponſionem, quæ poſſet afferri, & dicunt. Quamuis enim effugere ſoleant, qui fœminei ſeminis efficientiam tuentur, quoniam illud tenuius eſt, frigidius, & omnino ineptum, quod ſolum generare poſsit. tamen illud voluntarium eſt admodum, & nihil videtur prohibere, quin fœmina reperiatur calidioris temperaturæ, quæ ſemen generet calidius, & craſsius, & quale iſti ad generationem requiri aiunt, vt optimè deducit Valeſius ex Hipp. lib. de genit.

Pro probatione ſecundæ conſequentiæ remouent aliam reſponſionem, quæ à nobis poſſet afferri. Nam poſsumus dicere (vt imaginantur) locum habilem mari deficere, & alimentum fętui, quo augeri, & inoleſcere poſsit, dicunt enim, quamuis hoc concedatur tamen nullam deeſſe conditionem, qua poſsit ſaltem fieri prima fœtus inchoatio. natura enim tale agens eſt, quod præſente materia, nullo impediente ſemper agit.

Incipiamus à remotione huius vltimæ reſponſionis. Non dicimus nos non generari fœtum in vaſis ſpermaticis, vel aliqua alia parte maris, quia ſic alimentum non ſuppetatur fœtui, deficiatque locus habilis, quo augeri, & inoleſcere poſsit: ſed quia deeſt locus conueniens pro prima illius inchoatione, & deeſt materia ſufficiens,

ciens, & in quantitate, & qualitate pro generatione illius, vt ostendimus in prima parte cap. 14.

Quod spectat ad probationem primæ consequentiæ. Interrogemus hos viros. Cur, cum fœmina habeat per illos materiam, & efficiens, quod constituunt esse calorem illius, & vim ab illa
„ *emanantem, de se non generat? Respondent. ad speciei propaga-*
„ *tionem molitam eße naturam sexus differentiam, vt à duobus cum*
„ *quadam perfectionis, ac temperiei (notent studiosi) differentia*
„ *coeuntibus, proprio ab vtrisque semine profuso, materiam confla-*
„ *ret vnam aptam generationi. Quid dicent studiosi? hæc sunt ne contraria ijs, quæ statuimus nos in prima parte cap. 14. Sed vlterius. sunt ne hæc voluntaria? Nam dicam ego. nil prohibere, quin fęmina reperiatur talis temperaturæ, & perfectionis, quæ semen generet, quale pro materia apta generationi requiritur. ergo fœmina de se generabit. Deinde dico me ostendisse in prima parte cap. 14. fœminam mare frigidiorem eße, neque vllam naturaliter dispositam reperiri, quæ calidum, vt mas, semen generare posit. & patefeci ex Gal. hoc ex propria natura fœminæ contingere. Cum enim necessariò fœmina menstruo sanguine abundet, fieri non potest, vt semen ita calidum, vt solum ad generationem sufficiat, generet. Vt quid igitur hæc tanquam voluntaria sunt accusanda? Quod Valesius deduxerit ex lib. de genit. fœminam aliquam posse calidius, & crasşius semen, quale ad generationem requiritur, generare, studiosi recurrant ad cap. 15. primæ partis. nam ibi similiter declarauimus Valesium in intelligentia illius loci hallucinatum fuisse, neque hoc ex verbis Hipp. deduci posse.*

Tertio loco reprehendunt Neoterici illud, quod dicimus semen habere animam, sed in potentia, & hanc animam agere. Dicunt enim, quod aliquid habere formam in potentia, est notare materiam, non agens, & concludunt si semen equi facit equum, oportere habere formam equi. nihil enim agere quatenus est in potentia, & alia subiungunt, in quibus, vt etiam in his, vt ingenuè fatear, nescio intelligere, aut putare quid nobis Neoterici obsint. Semen enim habet actu essentiam animæ præcipuè vegetalis, vt ostendimus in prima parte cap. 13. & quamuis habeat actu essentiam illam, dicitur potentia habere animam vegetalem, quousque

usque non solum illa generationis munus exercere incipiat, sed reliquis officijs ad se spectantibus pro indiuidui conseruatione per propria organa fungatur. hoc enim ex Ar. 2. de gen.an.3. elicitur, & ex alijs locis. Dum torpescens, & veluti sopita facultas generans in semine iacet, quod contingit, cum nondum exsuscitata est à calore vteri, nullumque molitur opus, quis non censeat illam potestatis nomine iurè appellandam? & cum iam partium corporis in semine delineationes, et descriptiones molitur, & in embryone nondum formationem plenam adepto continetur, quis non idem censeat? & cum corpus plenè formatum est, verum anima nondum organis, ad propria munia, quæ obitura est, fabrefactis vti valet, quis censebit illam perfectionis, & actus nomine dignam esse? Dicitur ergo anima seminis esse in potentia in illo respectu operationum, non respectu existentiæ. Et semen equi generat equum, quia equus illi animam vegetalem, & sentientem proprias equi impertitus est. Cur ergo semen illud separatum ab equo non poterit equum generare? quid opus habet amplius semen illud præsentia equi? Requirunt hi viri actum præsentem, cuius virtute semen agat. actus præsens est anima seminis. semen vero habet hanc animam ab illo, à quo decisum est. Non est equidem anima in semine potentia, quemadmodum in homine adhuc viuente dicimus potentia inesse formam cadaueris. Si enim hoc modo in semine esset, non posset esse agens, non posset generare, & notaremus re vera materiam, non agens. Sed res se habet, vt declaratum nunc est.

Dicunt non est aliquid, quod potentia existens, posit se deducere ad actum. & hoc ab illis pro maximo fundamento habetur. Debilissimum fundamentum. Nil potentia existens potest se deducere ad actum primum, qui est forma. Sed cum habet actum primum, bene potest se deducere ad actum secundum, qui est operatio. & cum habet actum primum, dicitur esse in potentia ad secundum.

Ex allatis rationibus putant Neoterici se demonstrasse semina vtriusque sexus carere principio efficiente. Studiosi erunt iudices.

Porrò licet in prima parte cap. 12. aliquas rationes, & præci-

pue ex

pue ex Ar. adduxerim, ex quibus licet intelligere semen animæ essentiam in se continere, animatumque esse, quia tamen, dum hæc scriberem, aliquos audiui istud non posse capere, aliqua alia ex Gal. & Ar. subnectam, quæ clarius rem ita se habere confirment. Non loquar autem hic de omni anima, sed de Vegetatiua tantum.

Ad Gal. quod attinet, Nicolaus Leonicenus conciuis meus, & in Europa Medicinæ Galenicæ parens in sua epistola de virtute formatiua demonstrat ex verbis Gal. in lib. de fœt. format. cap. vlt. atque in primo de sem. cap. 9. in fine, & 10. in primis verbis animam vegetatiuam in semine residere, proindeque semen animatum esse. Unusquisque potest ex se loca illa ponderare. sensit idem cum Gal. Vales. 2. contr. 9. Massaria lib. de morb. mul. cap. 5.

Quod spectat ad Ar. duo illius loca considero. primum est in 1. cap. 2. de gen. an. alterum in 4. cap. eiusdem lib.

Quærit in fine 1. cap. Ar. an semen habeat, an non habeat animam: & determinat illud habere animam, & potentia esse. declarans vero quomodo potentia sit, cum idem à se ipso potentia propius, & remotius esse dicatur, affert exemplum de Geometra dormiente, & vigilante, qui respectu eius, qui contemplatur potentia est Geometra. Ex quo loco elicitur clarè Ar. velle semen habere animam non potentia, quæ excludat habitum, sed quæ habitum includat; veluti Geometra, & dormiens, et vigilans habitum Geometriæ habet. Semen ergo ex Ar. habebit animam potentia, sed non potentia respectu essentiæ animæ, sed potentia, quæ eßentiam animæ includit. Verba Ar. sunt hæc. Sed habeat ne semen
" animam, nec ne, ratio eadem atque de partibus reddenda est. nec
" enim anima vlla eße potest in alio, nisi in eo, cuius est, neque pars
" vlla esse potest, quæ particeps animæ non est, nisi æquiuocè, vt mor
" tui oculus. Semen igitur, & habere animam, & eße potentia pa-
" lam est. Propius autem, & remotius idem à se ipso potentia esse
" potest: vt Geometra dormiens remotius, quàm vigilans est, isque
" remotius, quàm qui iam contemplatur. Argumentum sit huiusmodi. Sicuti Geometra dormiens, & vigilans est potentia, ita semen per Ar. habens animam est potentia. At Geometra dormiens, & vigilans ita potentia est, vt habitum Geometriæ in se

contineat. ergo ſemen habens animam ita erit potentia, vt eſſentia animæ realiter illi inexiſtat.

In cap. vero 4. docet Ar. vim, quæ incrementum efficit ex alimento in animalibus, & plantis, eandem à principio conſtituere id, quod natura efficitur; & quia quæ efficit incrementum, vegetabilis anima eſt, concludit eandem quoque animam eſſe, quæ generat. Hunc locum in prima parte cap. 12. citaui, cum ſuppoſui facultatem generantem eſſe principium primum efficiens, & conformans fœtum, & eſſe eandem cum vegetabili. Verba Ar. ſunt hæc. Materiam igitur fœmina præbet, principium motionis mas, & quemadmodum quæ ab arte efficiuntur, per inſtrumenta efficiuntur, ſed verius dixerim per motum eorum, qui artis operatio eſt: ars autẽ forma eorum, quæ efficiuntur, eſt in alio: ſic à facultate, ſiue virtute animæ vegetalis agitur, vt quæ in animalibus ipſis, & plantis poſtea ex alimento vis eadem efficit incrementum, vtendo caliditate, & frigiditate, quaſi inſtrumentis (motus enim in ijs conſiſtit, & ratione aliqua vnumquodque efficitur) ſic etiam principio conſtituit id, quod natura efficitur. eadam enim materia eſt, ex qua augetur, & conſtituitur primum. Itaque facultas quoque agens eadem, quæ principio eſt, ſed maior. quod ſi hæc vegetalis anima eſt, eadem quæ generet quoque eſt. idque natura cuiuſque eſt inſita & in plantis, & in animalibus omnibus.

Clarè ergo fatetur Ar. vim, quæ principio conſtituit, & generat fœtum, eſſe animam vegetalem. modo hæc anima vegetalis, quæ incipit generare, & conſtituere fœtum non eſt anima vegetalis parentis. nam re vera ipſa non generat, & conſtituit fœtum, quamuis ſemen producat, illique vim generantem præſtet. Quod hoc ſit verum attende diligenter verba illa. vt quæ in animalibus ipſis et plantis poſtea ex alimento vis eadem efficit incrementum. ergo ſupponit Ar. vt vis, quæ generat, primo generet, & poſtea ex alimento efficiat incrementum. at iſta non poßunt verificari de anima Vegetali parentis, nam hæc primo ex alimento incrementũ efficit, & perducit parentem ad perfectam magnitudinem, poſtea pro generatione operatur. Cuius igitur eſt anima, vegetalis, quæ principio generat? vbi continetur? Certè cum principio generet, (loquendo de animalibus) vt ſit anima alicuius ex generationis

illorum

illorum primordijs, vt in aliquo eorum contineatur, necessarium est. hæc primordia sunt duo, semen, & sanguis menstruus. hæc anima non est menstrui, non continetur in menstruo per Ar. ergo est seminis, continetur in semine. ergo semen est animatum.

Non dicat mihi hic aliquis cum Auer. in 7. metaph. & Mercenario in dilucidat: sufficere ad hoc, vt dicatur animam generare, quod virtus animæ patris, à quo semen decisum est, in semine sit. Nam peto an virtus illa sit, quæ generet, an anima patris. non anima patris, vt iam ostendi. ergo virtus illa est, quæ generat. at Ar. vim generantem fœtum vocat animam vegetalem. ergo virtus illa per Ar. est anima. ergo semen est animatum.

Dicet alius. anima est in semine, sed potentia. si hoc verum est, aut est potentia ad esse ipsius animæ, (vtar philosophicis terminis) aut potentia, quæ includit esse, vt iam declaraui. si est potentia, quæ includit esse, habeo intentum. nam semen erit animatum. si est potentia ad esse ipsius animæ, non potest dici, quod anima generet. Ratio est. quia non potest attribui actio alicui rei sub ea ratione formali, qua nondum est. nam sub ratione formali, qua nondum est, nondum potest agere. actio enim insequitur esse ipsius rei: quare si nondum adest esse ipsius animæ, sub ratione animæ non potest aliqua actio fieri. si ergo in semine anima est potentia ad esse, non potest dici, quòd anima generet. Vidimus tamen Ar. statuere animam esse, quæ fetum à principio constituit, quæ ipsum generat. ergo anima per Ar. secundum suam essentiam in semine continetur.

Declaratum quoque est, quòd potentia, qua est anima, quam habet semen, est potentia, qua Geometra dormiens, & vigilans dicitur esse potentia respectu illius, qui contemplatur. Si igitur anima, quam habet semen, est potentia, non erit potentia ad esse, sed potentia, quæ esse ipsius animæ includit.

Animæ essentiam contineri in semine putat ex Ar. etiam Nicolaus Leonicenus loco citato, atque vlterius ex Themist. in paraphr. in primum lib. de an. cap. 21. in fine hoc idem ostendit. poterunt locum studiosi ponderare.

Siue autem virtus efficiens in semine contenta sit anima, siue quiduis aliud, sciant studiosi rationes, quibus contra Ar. osten-

dimus facultatem efficientem, & formatricem in semine fœminæ contineri in cap. 16. & 17. primæ partis, nec non aliquas adductas in cap. 12. eiusdem partis robur suum retinere. non enim fundantur super hoc, quòd semen animatum sit, aut facultas efficiens, & conformans in ipso residens sit anima, quemadmodum poterunt animaduertere.

Postulat hic locus, vt nobis quasdam interrogationes ex Fernelio in lib. 1. de ab. rer. cau. faciamus. Iste enim non tam doctissimus, quàm eloquentissimus vir, quamuis semini vtriusque sexus principium effectiuum ascripserit, istud principium minime animam esse voluit, sed virtutem quandam præparantem semen ad suscipiendam animam, atque ideo quædam ingeniosè excogitauit, quæ videntur nostram positionem labefactare, & quæ à nemine, quod ego sciam, hucusque animaduersa fuere.

An ergo si in semine perfectorum animalium, ex quo fœtus fiunt, anima præest, non etiam in putri materia, ex qua animalia sponte nascuntur, continebitur? Respondeo in putri materia, ex qua generari animalia debent, animæ essentiam non præexistere, sed bene in semine, ex quo generari animalia perfecta debent. quia istud ex corpore animato decidit, & ex ijs partibus corporis animati, in quibus potuit illi animæ essentia communicari, vt patefeci in prima parte cap. 17.

A qua ergo virtute ex putri illa materia animalia procreantur, si in illa anima non præest? A virtute viuifica caloris cœlestis dico ego cum nostris philosophis Mercenario, & Piccolomineo locis infra citandis.

At sequetur hoc modo imperfectis animalibus è putri illo pedore natis præstantiorem esse, ac diuiniorem originem, quàm perfectissimis illis, quæ vis seminis in vitam produxit? Respondeo non à sola vi seminis, quę ad Vegetalē pertinet secundum nos, animalia perfecta procreari; verùm ad illorum procreationem concurrere quoque virtutem diuinam, summèque sapientem, vt citato loco statui. quapropter nullum tale absurdum sequi ex mea positione video.

Si anima est congenita semini, in eodem semine sunt ne plures animæ? Ex vnico enim semine non vnicum, sed multos contingit

nasci canes, & vnusquisque suam habet animam. Responsionem illam recipimus. Cum vnicus fœtus ex semine fit, vnicam fuisse in illo animam, cum multi, multas. Ita natura comparatum est meo iudicio, vt animalia multipara non vnicum, sed multa vno coitu semina effundant; vt etiam plantæ vnica vice multa. quorum sua cuique insit anima. Sua autem inest cuique ex seminibus plantarum anima, dum separata sunt à plantis; sed dum coniuncta sunt, ab vna anima numero, nempè ab anima plantæ illa in se gerentis omnia animantur. ita vt vnica sit in illis, dum coniuncta manent, anima. Idem dicendum de seminibus animalium.

Si contigisset hoc ipsum semen sic totum in vnum vteri locum colligi, vt vnicus inde emergeret canis, is ne multas canum animas contineret? Respondeo, fœtum vnicum, vel multos non nasci pro numero locorum vteri, in quæ semen recipiatur, quemadmodum rectè docuit Ar. 4. de gen. an. 4. Sed si semen canis ita in vnum locum colligeretur, vt vnicus inde canis emergere deberet, plures canes in vnum coniuncti nascerentur, & vnusquisque propria anima præditus.

A quo gignitur anima in semine contenta? quemadmodum semen a corpore generantis prodit, videtur quoque seminis animam ab eiusdem anima produci. Si vero hoc concedatur, inexplicabile est, qua ratione fieri possit, vt vnica generantis semen anima, alias de se nouo quodam, & inaudito procreationis genere, tam repente, tam crebro multiplicet. Ego certè in prima parte loco præallegato docui modum, secundum quem semen potest facultatem naturalem, vitalem, & animalem suscipere. Voces modo hanc animæ in semen receptionem, aut animæ generationem, aut seminis animationem, aut nomine carentem transitionem, vt dicit Zabarella de transitione animæ ad nouam aggeneratam per nutritionem partem, (quamuis sit aliqua differentia inter transitionem animæ ad semen, & ad aggeneratam partem) nil hoc curo. Sufficiat mihi, sicuti Ar. putauit, rationabile esse asseuerare, dum in insectorum coitu fœmina particulam vuluæ respondentem in marem figit, marem materiæ in illa particula contentæ vim Vegetalem, & sentientem tribuere; ita rationabile eße, asseuerare in perfectis marem proprio semini easdem vires impertiri. Eadem est

ratio

ratio de ſemine fœminæ. Præcipuè cum affirmet Ar. 2. de gen. an. 4. in ouis, quæ aues fœminæ ex ſe abſque maris congreſſu producunt, animam vegetalem contineri.

Sufficiat mihi, in re omnium difficillima, & abſtruſiſſima multo rationabilius eſſe ita dicere, quàm ponere in ſemine (vt facit Fernel. lib. citato) facultatem, & vim, quę concinnam conformationem corporis & partium aptam ſecum coniunctionem in illo efficiat, & tamen hæc facultas ad Vegetalem animæ partem non ſpectet; & tamen actio conformandi non pertineat ad naturalem animæ partem, vt aſſeuerarunt hucuſque omnes & philoſophi, & Medici, & veritate coactus faſſus eſt etiam Fernel. lib. 5. phyſiol. cap. 3. & lib. 7. per totum. Sufficiat nobis non eſſe coactos ſexcenta Ar. præcipuè loca extorquere, vt cogitur Fernel. & fingere in mente modum, ſecundum quem præparatæ, & conformatæ ex ſemine materiæ accedat poſtea extrinſecus anima. Denique cum viderimus Fernelium ſibi ipſi palàm de efficiente principio in ſemine contento contrarium, ſuperuacaneum duximus velle ex profeſſo contra illum diſputare. Apparet enim ex hac in ſuis ſcriptis aperta contrarietate nulla alia confutatione dignum eſſe, ſatiſque ipſum ſe ipſum redarguiſſe. Sufficiat quoque igitur ſtudioſis has Fernelij rationes opportunam nactos occaſionem nos diluiſſe.



Sen-

Sententia Neotericorum de efficientia in generatione fœtus ſolius fœminæ. eorum rationes. ſententiæ, & rationum euerſiones. Cap. III.

INſpiciamus modò Neotericorum ſententiam. Afferam autem propria illorum verba in illa adducenda, vt in ſup. quoque cap. feci, & plenius, ne aliquis credat me illis imponere ea, quę non ſcripſerunt. ſingula autem non perſequar; nam nimis excreſceret volumen, neque debemus tædio beneuolos ſtudioſos afficere. Seligam potiora. Dicunt ergo. Effuſis in vtero ſeminibus vtriuſque ſexus, inter illa oriri mutuam actionem, & paſſionem, abſque victoria vnius, & generatione fętus, ex qua materia apta generationis fœtus reſultat. Agens vero, dicunt, perficiens hanc materiam, & informans, longe aliud eſt, calor inquam aut gallinæ cubantis, aut equæ vtero geſtantis. Hoc autem verum eſſe agens. quia actu eſt, & præſens, quia tangit, & in ipſam ſeminalem materiam ſe ſe ingerit, & inſinuat, vt docebimus: eſt ſimile, aut ſecundum ſpeciem, aut ſecundum genus. ſecundum ſpeciem in perfectis animalibus, in quibus fœmina fouet utero fœtum, unde fortè & fœmina dicitur. Secundum genus, ut in ijs, quæ imperfectiora ſunt, in quibus quædam diuerſæ ſpeciei fouendo excludere ſolent oua alterius; quæ tamen ſolent conuenire in genere proximo, ut anſeres, anates, gallinæ, &c. Tandem concludunt. Agens mea ſententia non eſt aliud, quàm, quod huic materiei accedens, illam calefacit, efformat, viuificat, in ijs, quæ ex putri fiunt, calor excretus à re putreſcente. In ijs, quæ oua excludunt calor animalis incubantis. In ijs, quæ animal intus generant, calor tum uteri ipſius, aut loci eiuſmodi, tum qui à matris corpore per uenas, & arterias in fœtum diſtribuitur.

Confuſi adeo ſunt in ſua diſputatione Neoterici, ut diu cogitauerim pro illorum mente penetranda. Nam ex adductis uerbis uidetur, quòd uelint unum fœminæ calorem in ouiparis, & in perfectis

fectis animalibus esse efficiens, ex alijs vero infra adducendis elicitur ipsos in perfectis animalibus vim quandam aliam, præter calorem, à fœmina procedentem agnoscere. Cum vero in tota sua disputatione nil dicant, ex quo possit elici, aliquam aliam efficientem vim, præter calorem cubantis auis, in ouiparis ipsos agnouisse, persequar eorum dicta de ouiparis tanquam constitutum ab ipsis accipiens, in ouiparis calorem cubantis fœminæ efficiens esse in generatione pullorum.

" Scribit Ar. 3. de gen. an. 2. oritur pullus incubante aue, vt dictum est. sed si, aut tempus sit bene temperatum, aut locus, in quo oua manent, tepidus, cōcoquuntur & auium oua, & quadrupedum ouiparorum sine parentis incubitu. hæc enim omnia in terra pariunt, concoquuntur oua tepore terræ: nam si quæ quadrupedes oiparæ frequentates fouent quæ ediderint oua, custodiæ gratia id potius faciunt. Hæc eadem leguntur apud Albertum Magnum lib. 17. de an. cap. 3. Falsum ergo est calorem fœminæ cubantis, aut eiusdem speciei, vel generis proximi, vt statuunt Neoterici, esse efficiens in generatione pulli ex ouo.

Manifestum quoque feci in vltimo cap. secundæ partis aspersionem, quam pisces mares proprij seminis supra edita à fœminis oua efficiunt, inseruire pro in cubitu. Neque Ar. negat ex tali aspersione multum caloris illis infundi. ergo in ouiparis efficiens in generatione non est calor fœminæ tantum, sed etiam maris. Hoc idem astruitur ex coitu insectorum.

Adde, & hoc est fortissimum argumentum, nam est sensatum. oua incubari partim à fœmina, partim à mare in multis ouiparis. alternatim enim illa incubant, vt clarè obseruamus in columbis, & alijs auibus volatilibus. imò obseruamus, si fœmina incubitum intermittat, & interim incubandi munus mas non subeat, pullos ex ouis non excludi, sed vrina fieri, & corrumpi. ergo non solum fœmina concurrit vt efficiens, sed etiam mas.

" Audiant Neoterici Ar. ipsum. Columbæ (inquit 6. de hist. 4.) magna ex parte marem, & fœminam generant: priorem marem, posteriorem fęminam, & cum pepererint primum ouum, uno interposito die secundum pariunt. Incubant ambo uicissim, interdiu mas, noctu fęmina. & cap. 8. Incubat magna auium pars, ut de colum-

columbis retuli fœminę mare succedente. aliqui mares incubandi munus tantisper subeunt, dum fœminæ intermisso incubitu cibum quærunt. & inferius. palumbium fęmina incubat à pomeridiano incipiens, totaque nocte, et vsque ad tempus ientaculi perseuerans, reliquo tempore munus idem mas subit. Perdices bina ouorum receptacula faciunt. in altero fœmina incubat, in altero mas. excluditque sua vterque, & educat.

Insuper concedunt Neoterici in perfectis animalibus duas fœminæ actiones in conceptum, vt apparebit infra, quarum alteram vocant externam, & hæc prouenit à calore vteri, alteram internam, quæ prouenit secundum illos à calore per venas, & arterias in fœtum distributo. Cur ergo in generatione ouiparorum calor oui internus non requiritur? non ne in ouo reperitur calor à fœmina illi ingenitus? non ne, præter calorem hunc, reperitur quoque calor à mare per genituram illi tributus? quid aget ille calor, feriabitur ne? & si agit, cum sit secundarium agens, à qua virtute regetur? meo iudicio ab aliqua virtute in ouis contenta, à nobis formatrice dicta. An requiritur in generatione fœtus in viuiparis animalibus virtus calori super addita, vt velle etiam Neotericos infra ostendemus ex proprijs ipsorum verbis, in ouiparis vero solus calor sufficit?

Sed dicunt oua diù seruari, & vsque adeo refrigerari, vt omnis planè seminis masculi calor, si quis in eis reperiebatur, extinguatur, & tamen adhibito animalis cubantis calore fœcunda fieri. Sed cur non extinguitur etiam calor, si quis inerat illis à fœmina? Sed nego adeo refrigerari oua, vt extinguatur calor à mare per semen illis inditus, & tamen cubata fœcunda fieri. & debent hoc Neoterici probare. Nam si eueniat vt extinguatur calor illis à mare inditus, remanebunt infęcunda.

Addunt Neoterici. Nec est vt quispiam putet, oua non solum materiam esse, sed etiam actiuum principium in se continere, semen scilicet maris. nam si hoc esset, sine animalis cubatu generarent, non otiosa tamdiù seruarentur. Negant hic Neoterici in ouis semen maris reperiri, non dicunt calorem maris, & tamen vidimus supra ipsos statuere ex vtriusq; sexus semine simul mixto materiam vnam conflari aptam pro generatione fętus. Sed oc-

casione dictorum hic à Neotericis volo principium quoddam ponere, per quod non solum ad illa habeatur à studiosis responsum, verum etiam ratio, ob quam ex ouiparorum quadrupedum ouis, & quorundam auium absque incubitu, sed tamen necessario accedente aliquo extrinseco calore, pulli excluduntur. Principium autem hoc, non est meum, sed doctissimi Andreæ Laurentij. neminem enim vnquam laude propria defraudabo. Doctissimus autem hic vir tali principio vtitur in perfectis animalibus, ego illud applicabo ad ouipara, & vt puto, non ineptè. Tria ergo genera causarum apud Medicos reperiuntur, vnam vocant principalem, alteram adiuuantem, tertiam sine qua non, et dant exemplum in medicamento purgante. Causa principalis purgationis est medicamenti proprietas; causa adiuuans, caliditas medicamenti; causa sine qua non, natiuus noster calor, sine quo medicamenti vis sopita in actum haud quaquam erumperet. Ita ergo in formatione pulli ex ouo, causa principalis est virtus formatiua. causa adiuuans, est calor ouo insitus. Causa sine qua non, est calor cubantis animalis, aut similis quiuis alius calor. insitum enim ouo calorem fouendo, vigorem illi addit; vnde in actum strenuè erumpit, & penitus materiæ dominatur, illam varie transmutando, & ad quas vult figuras ducendo. Ex his facilis est responsio ad dicta Neotericorum. Clarè enim necessitas apparet caloris cubantis animalis, vel alterius proportione calori cubantis animalis respondentis. Ex his etiam alia, quæ à Neotericis subiunguntur de exemplo coaguli, nullo negotio studiosi euertent.

Vltimo non digrediar, vt ostendam calorem à re putrescente excretum non esse sufficiens agens pro generatione eorum, quæ ex putri oriuntur, vt statuere vidimus Neotericos in supra eorum allata oratione. nam nimis à scopo nobis proposito aberraremus; studiosos in hoc quæsito ablegam ad acutissimum Mercenarium, qui theorema proponit in suis dilucidationibus, an genita ex putrescente materia à calore solis, vel mixti putrescentis produci possint; & ad Piccolomineum in lib. de ortis ex putri cap. 3. in quo disputat de causa efficiente genitorum ex putri.

Vidimus quid sentiendum sit de efficientia caloris incubantis auis. Videamus quid etiam sentiendum sit de caloris vteri efficientia.

cientia.

dentia. *Audiant rem miram studiosi. Statuunt Neoterici primam seminis conformationem à calore uteri, tanquam ab efficiente, in perfectis animalibus fieri. Vocant vero primam seminis conformationem, qualem genitura saltu à psaltria ab vtero excussa sortita fuerat, de qua Hipp. lib. de nat. pu. Vt autem intimius illorum mentem penetremus, integram hic orationem, in qua se exponunt, afferemus. Externa (inquiunt) vocetur actio fęminæ in semen prolificum, qua illud vtero recipiens, complectens, & circumquaque attingens, ac fouens calefacit, illi per oscula vasorum agglutinatur, crassiusculum id reddit, atque pellicula quadam, ac veluti operimento, inuestit. quod non ineptè Ar. crustulæ comparauit, quæ in pulte fit ex calore ignis, & ea refrigerata conspicitur. Vocatur autem actio hæc externa, quoniam est ipsius vteri in semen, imò vero in fętum eo toto tempore, quo fętus in vtero continetur. quo quidem aliquam formationis partem compleri ex eo dignosci potest; quoniam calor omnis pro varietate materiæ, in quam agit, ita diuersam illi formam, & constitutionem tribuere videtur: sol enim lutum compingit, & craßum reddit, ceram mollit, ac liquat: terestrem marinæ aquæ partem in salem vertit, aqueam, ac tenuem in vapores. Semen vero non simplex eße corpus, sed ex multis, & contrarijs partibus conflatum, tum illud docet, quod mistum est, et ex perfectorum numero mistorum, quæ ex quatuor elementorum compage resultant, tum etiam quod ex sanguine ortum est, & eo quidem quatuor humoribus constante: adde etiam, quòd duo re vera semina sunt, alterum maris, & fęminæ alterum, & cosistentia, & qualitatibus primis, & quantitate etiam forsitan inter se discrepantia. Quocirca ex actione uteri, & natiuæ eius caliditatis in seminalem hanc materiam, necessario fit, ut huius partes quædam crassescant, & substantiam quandam compactam obtineant, aliæ uero attenuentur, atque in spiritum, flatumque uersæ intumescant, & calore agitatæ se mutuo diuidant, atque peruadant. quam dixerimus primam esse ipsam fętus, aut certè seminis conformationem, quale narrat Hipp. primo de nat. pu. se uidisse sexto à conceptu die ab ancilla psaltria saltu ab utero excussum.*

Genitura à psaltria saltu excussa fuit huiusmodi. Qualis autem

tem erat (inquit Hipp.) ego referam. veluti si quis ouo crudo externam testam circumcirca adimat, in interna vero pellicula inclusus liquor pellucescat. Modus quidem talis erat, & vt abundè dicam, ruber erat liquor, & rotundus. In pellicula vero fibræ quædam albæ, ac crassæ inesse videbantur. cum cruore crasso, & rubro obuolutæ: circum autem pelliculam foris cruenta vestigia instar suggilatorum; iuxta medium vero tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus esse videbatur, & per illum sanè spirationem extra, & intra primam facere apparebat; quin & pellicula genituram ambiens, ac complectens, tota ex illo tendebatur.

Ex his Hipp. verbis habemus in genitura psaltriæ fuiße formatas membranas fœtum integentes, & venas per chorion dispersas vnà cum vasis vmbilicalibus, & descriptum, ac delineatum iecur. Gal. enim lib. de fœtus format. cap. 3. affirmat illud membrum, & rotundum, quod intra conspiciebatur, fuiße iecur.

Videamus an vteri caliditas aliquam harũ partium formationem moliri queat. membrana chorion ita formata est, vt vbicunque orificia vasorum ad uteri internam superficiem desinentium illi contigua sunt, ibi ipsa sit perforata, ut commodè, & perbelle orificia uasorum, quæ in illa sunt, & uasorum uteri se inuicem committere possint, adhoc, ut materia & pro generatione partium sanguinearum, & pro nutritione conceptus influere possit.

Membrana allantoides ita formata est, ut desinat in meatum quendam, qui est in medio uenarum, & arteriarum umbilicalium, & in supernam uesicæ fundi partem inseritur, urachon, urinaculum ab anatomicis apellatur. Omittamus nunc mirabilem structuram uenarum, & arteriarum, quæ per chorion dispersæ uasa umbilicalia constituunt, referre, & ex illa contra Neotericos argumentum deducere. infra enim hoc commodiori loco faciemus. stemus uero in structura membranarum fętum obuoluentiũ recitata.

Quis est ergo, qui tam fortem habeat imaginationẽ, ut adeo artificiosas harum membranarum fabricationes in unum calorem, tanquam in efficiens, referre possit, ut faciunt Neoterici? Producet ex se calor, ut loquamur de allantoide, membranam certa canitate præditam, hanc in canalem quendam rediget, & hunc ab

extra

extra intus in fœtum deducet, & inseret mirabiliter in uesicæ fundum, ut subinde genita abundans urina per illum in capacitatem dictæ membranæ à fętu possit expelli? Tantam prouidentiam habebit de se calor? calor extrinsecus? ut uteri calor est respectu fœtus?

Assimilant Neoterici membranas ipsas crustulæ, quæ pulti obducitur ex auctoritate Ar. (ut ego reor) in 2. de gen. an. cap. 3. in fine. Omittamus etiam hic, quod Sueßanus interpres Ar. non spernendus, vult ibi Ar. de generatione cutis loqui, & se ipsum explicaße uidetur philosophus 10. probl. probl. 29. ubi loquendo de generatione cutis, eam crustulæ comparauit, attentè crustulam illam, quæ pulti obducitur, pensitent Neoterici, & conferant cum membrana chorio, & multo magis cum allantoide, & postea pronuntient has similes illi crustulæ esse? Quod nam artificium est in illa crustula? quæ determinata cauitas? quæ insertio? Quod nam est in illa dissimilare, & organicum? Tanta organizatio pendebit ab una caliditate? à caliditate extrinseca tanquam ab efficiente? deinde à diuersitate materiæ?

Concedi equidem potest pro diuersitate materiæ, à calore hanc membranam crassiorem, illam tenuiorem fieri, & cauitates nasci ob materierum intumescentias; sed apertiones foraminum artificiosè debitis locis factas, miras necessarias fœtui distributiones, insertionesque partium intra se, cauitates semper in omnibus fętibus tales figuras sortitas, in calorem, & diuersitatem materiæ solummodo quis potest referre? Quis, ut uno uerbo dicam, materiæ quadam necessitate hæc artificio miro plena fieri asseuerabit, ut aßerunt Neoterici in fine allatæ eorum orationis?

Poßunt autem hic commodè studiosi recurrere ad ea, quæ in secunda parte cap. 3. uersus finem de generatione membranæ chorion diximus ex nostra sententia.

Quid dicam de illo rubro, & rotundo intra membranam contento? potuit ne illius descriptio, & delineatio ab uno calore uteri fieri? Sed neque hoc constituent infra Neoterici, ut uidebimus. dicent enim fieri à ui quadam per uenas in fętum distributa, quam hepatificam appellabunt; & tamen cum hic primam suam seminis formationem asserant eße talem, qualem

narrat Hipp. fuiße genituræ à psaltria excußæ, coguntur hoc fateri. in genitura enim Hipp. rubrum illud rotundum continebatur.

Sed pergamus ad alia. Postquam Neoterici pronuntiarunt, vt vidimus, ex sua sententia agens eße in ouiparis calorem incubantis auis, in perfectis calorem tum vteri ipsius, aut loci huiusmodi, tum qui à matris corpore per venas, & arterias in fœtum distribuitur, iubent hanc rem diligenter animaduerti, vt hoc vltimum eorum pronuntiatum declarent, & stabiliant. Perlustremus ergo diligenter hanc suam animaduersionem. scribunt igitur.

" Quam rem diligenter animaduerti velim. Cum enim semen
" materiæ tantummodo vices gerat, quid aliud possumus excogitare, quod agentis corporei proximique munere fungatur, quam ipsam matrem? hæc enim non solum materiam fœtui procreando suppeditat, sed etiam calorem natiuum impertit: quod in omnibus proportione quadam verum est, in ijs vero, quæ intus generant, & vtero gerunt, est manifestissimum, in quibus distribuitur à matre in fœtum ipsum non solum sanguis per venas vmbilicales appellatas, sed etiam spiritus, & calor innatus per arterias. Nouimus enim vasa vtraque vmbilicalia nuncupata venis, & arterijs ipsius vteri continuari, intercedente membrana, quæ chorion dicitur. Quamobrem arteriæ matris, quæ ad vterum pertingunt, seminali materiæ continuatæ, arterias in semine generant, & venæ venas.

Ex his habemus venas, & arterias conceptus generari à venis, & arterijs vteri matris, & Neoterici versus finem suæ disputationis addunt huius rei probationem, scribentes.

" Nec est vt obijcias, id vero ignotum eße, & controuersum an venæ fiant à venis vteri, arteriæ ab arterijs, cum alij putent à semine fieri, & à vi effictrice, quæ in semine est. Nam si vim generatiuam, ac formatiuam venarum, & arteriarum illi tribuunt semini, quod, si naturalium agentium vim, ac proprietatem spectemus, debuit potius generare semen, quam arteriam, ac venam, multo magis mihi licitum est vim generandæ arteriæ, tribuere arteriæ, & venæ generandæ, venæ. Quod argumento à Galeno relato confirmari potest. quoniam si vena vim habet vt nutriatur;

„ tur, ergo vt alimentum vertat in substantiam sibi similem, & omnino in substantiam venæ. igitur vis generandi venam, est in vena. ergo suppetente materia poterit venam generare. Itidem & arteria, & reliqua. quod manifeste sensit Gal. lib. 1. de sem. cap. 13. quum duplicem fœtui opificem in vtero statuit, & seminis facultatem, & eam, quam ait esse in vteri vasis, in quæ semen incidit.

Vidimus Neotericos voluisse primam seminis formationem à calore vteri fieri, & hanc esse talem, qualem describit Hipp. de genit, à psaltria emissa: hæc vero continebat, vt vidimus, venas per chorion dispersas, & vnitas in vasa vmbilicalia, ergo has venas à calore vteri generari ex positione illorum sequitur. nihilominũs hic dicunt venas in semine generari à venis vteri, arterias ab arterijs. Nec est vt quispiam velit ipsos ab inconstantia vindicare dicendo venas, & arterias vteri gignere in semine venas, & arterias mediante præcipuè calore innato venarum, & arteriarum vteri, qui & vteri ipsius potest dici calor, cum venæ, & arteriæ vteri, partes illius sint. Nam impropriè dicuntur partes illius; vnde aliud est dicere calorem vteri, aliud calorem venarum, & arteriarum illius. præterea vero uidimus Neotericos actionem, quam facit calor vteri in semen, externam uocaße, inferius uocabunt, ut audiemus, actionem uteri, qua generantur uenę, & arteriæ in semine, internam. adeo quod separant, & seiungunt has duas actiones, diuersas ergo illas faciunt, & non poßunt in unam reduci. Vnde uidentur quoque distinxisse calorem uteri à calore uenarum, & arteriarum illius. Vtcunque autem de hoc sit. rursus illi constituent, ut uerba eorum, quæ afferemus, testabuntur, fœtus membra à uitali spiritu, & quadam uirtute matris, qua unumquodque illius membrum est aptum sibi simile generare, fętui per arterias uteri communicatis, procreari. quot ergo agentia fœtus perfectorum animalium? calor uteri, uasa uteri, calor per illa influens, unà cum uirtute. At dicent sunt plura agentia, sed tamen omnia à matre proueniũt, unde unicum agens, mater. Vnicum agens mediatum erit mater hoc modo; sed quærimus nunc unicum agens immediatum principale.

Ponderauimus primum agens fœtus perfectorum animalium à Neo-

à Neotericis excogitatum, ponderemus etiam ſecundum. Volunt igitur illi non ab effictrice uirtute, quæ in ſemine contineatur uenas, & arterias fœtus formari, ſed à uenis, & arterijs. nam uis generandi uenam, dicunt, eſt in uena. Heus uiri doctiſſimi, in ouis, cum per aliquod tempus cubata fuerunt uiſuntur uaſa umbilicalia radices in uitello, & albumine quoque habentia, à quo genita in illis uaſa ea fuerunt? Præerant ne in ouis antequam cubari incęperint uenæ, & arteriæ? Qua ratione ergo in ouis uenæ, & arteriæ umbilicales, generantur, cur non eadem generari primas conceptus perfectorum animalium uenas, & arterias dicemus? hanc philoſophandi uiam credo ego Ar. & Gal. ingreſſos eſſe. Iudicent ſtudioſi an hoc argumentum contra Neotericos ſit demonſtratiuum.

Si autem dicant in ouis fieri uaſa illa à calore cubantis auis, hoc remouimus ſupra; et ſi ad hoc confugiant, coguntur per ea, quæ ſupra diximus, fateri quemuis calorem tepidum extrinſecum, non auium tantum, habere uim formandi uaſa umbi licalia. Quod ſi quilibet calor tepidus habet uim hæc generandi, cur ad generationem illorum in fętibus perfectorum animalium non ſufficiet primum agens Neotericorum, calor ſcilicet uteri? Cur inuehunt etiam uenas, & arterias illius? Porrò ut diximus cap. 16. & 17. primæ partis nobilis illa architecta in ſeminibus contenta ideam in ſe omnium partium habet, quare non eſt mirum ſi ex ſemine, & albumine oui, & uenas, & arterias generet. Sed dicunt magis uideri quod ſemen generet ſemen, quam uenam, & arteriam. Non poſſum credere, quod doctiſſimi uiri hæc seriò protulerint, ſed potius, ut de ingenijs aliorum periculum facerent. ſi ſemen ageret per formam, qua mixtum eſt, non per nobiliorem huic ſuperadditam, qua animatum eſt, & dicitur, potius ſemen generaret, quam uenam, & arteriam, & alias partes: at per nobiliorem agit; ergo non ſemen, ſed ex ſemine uaſa illa, & alias partes generat.

Verum aliam contemplationem in medium afferamus. Ita ſe habent uenæ, & arteriæ fętus, quæ uenis, & arterijs uteri matris continuantur, quòd quemadmodum uenæ, & arteriæ deſinentes in materni uteri internam ſuperficiem ſunt paruæ, ita uenæ, &

arteriæ

arteriæ fœtus, quæ his continuantur, paruæ sunt, & eiusdem cum illis magnitudinis. hæ vero intercedente membrana chorion ita intus versus fœtum feruntur, vt quò magis recedunt ab vtero, eò maiores euadant; adeo quòd illæ paruæ venæ, & arteriȩ, quæ continuæ sunt vteri venis, & arterijs simul vniantur, & constituant venas, & arterias maiores. hæ similiter vniantur, & constituant alias adhuc maiores, quousque tandem in duas magnas venas, et duas magnas arterias, vasa vmbilicalia nuncupatas, desinant. Hæc vero vasa vmbilicalia non statim intus in fȩtum ipsum feruntur, sed (loquendo in specie humana) prius circa collum infantis implicantur, vel flectuntur, vt clarè possunt conspicere iuniores in pulcherrimis Valuerdij figuris, figura 34. tertij lib. suæ anat. statim vero ac per regionem vmbilici in fœtum permearunt, arteriæ insiguntur in ramos iliacos arteriæ magnæ descendentis, quæ postea sursum ad cor repit. venæ vniuntur in vnicum ramũ, et hic postea in cauam iecoris partem insigitur. Quis ex iecoris hac venarũ, & arteriarum fȩtus dispensatione non animaduertet, impossibile esse venas, & arterias ad vteri matris internam superficiem desinentes, venas, & arterias fœtus generare? Fateor à venis paruis posse generari venas paruas, & breues, neque in hoc contradicam Gal. 14. meth. cap. 16. & 17. Fateor ad generationem venarum, & arteriarum, quæ in chorio sunt, conferre etiã aliquid venas, & arterias vteri matris, opitulari scilicet generationi earum, quæ sunt contiguæ venis, & arterijs vteri; hoc enim fatetur quoque Gal. 1. de sem. 13. dum in prima ex semine formatione duplicem vasorum vim fabricatricem agnoscit, & seminis, & conceptaculorum vteri. Cum enim quæ generauit partes, facultas animal non destituat, vt docet idem Gal. cap. 11. eiusdem lib. quis negabit exuberante materia seminali in vteri cauitate, & adiuncta venis, & arterijs vteri, posse à facultate immutatrice illarum ipsam illis agglutinari, & assimilari? Equidem si debent nutriri, opus est, vt sanguinem conuertant in semen, antequã eo nutriantur, quia ex semine ipsæ factæ sunt, cur ergo si adiunctum est illis semen, si illis adhærescit, non laborabunt illud sibi agglutinare, & assimilare? Sed quòd ea sit vis paruarum venarum, & arteriarum vteri, vt paruas primo venas, & arterias ge-

nerent, mox alias maiores, deinde adhuc maiores, tandem maximas, & has longo itinere circa collum infantis producant, & postea miro artificio inserant venas in iecur, & arterias in ramos iliacos, & hos deducat in vnum vnitos truncum in cor, inimaginabilia omnia esse existimamus. Hæc longa, varia, artificio miro plena venarum, & arteriarum distributio, à venis, & arterijs pendebit vteri? An innumeræ aliæ venę, & arteriæ per corpus vlterius infantis miro ordine distributæ à venis, & arterijs vteri producentur? Ea vis erit ne venarum, & arteriarum vteri matris? an opificis alterius virtutis in seminibus insidientis, quæ, vt diximus in vltimo cap. secundæ partis, prudentia plena non solum valet materiam in opportuna loca pro rei vsu sapientissimè distribuere, verùm ex ea excauare ossa, venas, & arterias, incredibilique ferè artificio passim meatus omnes aperire, & formam quibusque partibus suam inducere?

Verum inspiciamus quomodo saltem possint Neoterici saluare, venas, & arterias, quæ non extra fœtum ipsum, sed in ipso habentur, generari, licet non referatur illarum generatio in vim venarum, & arteriarum vteri, in medium adducendo Neotericorum tertium agens fœtus perfectorum animalium.


Postquam ergo illi se ostendisse putarunt vasa, quæ ad vterum pertingunt continuata seminali materiæ, vasa reliqua in fętu ex
» illa seminali materia generare, subiungunt. Atque horum va-
» sorum ope vis naturalis, & insita membrorum matris, qua vnum-
» quodque sibi simile est aptum generare, ipsi fœtui communicatur,
» dum ille viuit vita matris, & tanquam eius pars. Imò vero cum
» facultas hæc singulis membris ab vno principio deriuetur, arterijs
» à corde, venis ab hepate, quid nam erit facultas hæc generatiua
» similis, quàm arteriarum cordifica, venarum hepatifica, vt ita lo-
» quar. Si enim facultas vitalis à corde ita in arterias deriuatur,
» vt in eo sit tanquam in fonte, atque principio, in arterijs tanquam
» in riuulo, & per participationem à corde, à quo influit illis assiduè
» facultas, vt docuit Gal. 6. de decr. cap. 7. & lib. 7. cap. 5. & lib. an
» sang. in art. cont. cap. 8. cum huius facultatis munus sit conseruare
» cor ipsum, tum calorem eius ventilando, tum etiam nutrimentum
» vertendo in substantiam cordi similem, illa vbi fuerit per arte-

riolas

& sic figura particularis non à materia pendet, sed ab efficiente, contra Neotericos.

Quoniam vero arbitror me satis, superque opinionis Neotericorum absurditatem (cum omni illis debita reuerentia dictum sit) manifestasse, minimè laborabo in singulis, quæ in vltima oratione eorum allata continentur, aut in cæteris, quæ habentur in tota sua disputatione, refellendis. Sed huic meæ disputationi ad laudem Dei, & Virginis matris Mariæ finem imponam, studiosos hortando, & rogando, vt in Vetere Hipp. & Gal. opinione de semine à nobis declarata, & defensa persistant, & semper, veluti pestem, conclusiones his duobus auctoribus contrarias aufugiant.

FINIS.



Taruisij, Apud Marcum de Antonio.
M. DCIX.